CAR. OTTONIS DE *MADAI*
IURIS UTRIUSQUE DOCTORIS

COMMENTATIO IURIS ROMANI
DE
VI PUBLICA ET PRIVATA

AB

ILLUSTRI

ICTORUM BEROLINENSIUM ORDINE

PRAEMIO REGIO ORNATA.

HALIS
IN LIBRARIA ORPHANOTROPHEI.

MDCCCXXXII.

VIRO

PERILLUSTRI DOCTISSIMO

LUDOVICO PERNICI

IURIS UTRIUSQUE ET PHILOSOPHIAE DOCTORI

ANTECESSORI HALENSI

PRAECEPTORI

DILECTISSIMO ET AD CINERES

SUMME COLENDO

HUNC LIBELLUM

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROLEGOMENA.

§. 1.

Quamvis doctissimi quique aetatis nostrae viri intelligant, historicam iuris perscrutandi rationem solam esse idoneam ad altiorem eius cognitionem sibi comparandam, eam tamen methodum in iure criminali ab omni fere parte esse derelictam, tanto magis est mirandum, quanto feliciores fructus studia illa historica in iure *civili* tulerunt. Accedit, ut legum, quae antiquioris iuris criminalis quasi fundamenta sunt existimanda perscrutatio facilior esse videatur, quam in iure civili, quod eandem fere quam legibus etiam moribus et consuetudinibus, quas alias aliis temporibus fuisse constat, tribuat auctoritatem. Sed duae mihi praecipue exstare videntur causae, ex quibus antiquitatis studia, in iure criminali neglecta explicari possint, qua-

rum utraque in ipsa iuris criminalis natura versatur. Nam id, quo nos utimur, ius criminale, lege Germana maxime nititur, eaque a Carolo V. edita, indeque factum est, ut eorum quae de criminibus Romani statuerunt, cognitione supersederi posse videretur. At longe alia erat rerum conditio in iure civili, quod ex Romanorum imperio in ipsam Germaniam translatum, historica studia ultro evocavit, quippe quae ad ipsam iuris Romani scientiam essent necessaria. Cum praeterea antiquius ius criminale, id quod iam antea monuimus, legibus maxime contineretur, earum legum, quae novissimae essent, cognitio sufficere, earumque, quae antea viguissent, perscrutatio supervacua existimari potuit. Accedit, ut antiquiores leges de criminibus quondam promulgatae, vel, ubi recentiores iis substitutae sunt, perierint, vel propter vetustatem ita sint incertae et obscurae, ut saepe nec quomodo exortae sint, nec quomodo inter se cohaereant, certo explicari possit.

Has equidem causas existimaverim historicorum studiorum, in iure criminali maximam partem neglectorum, quae ne in iure quoque civili prorsus relinquerentur, ipsa iuris civilis natura effecit. Namque in iure civili, cuius tanquam fons non leges tantum a magistratibus

promulgatae, verum etiam consuetudines, quae apud populum valent, existimandae sunt, ita omnia inter se cohaerent, ut, quae postea viguerint intelligere nequeat, nisi qui ea quoque, quae praegressa sint, perspexerit: qua re ultro quaestiones illae historicae excitantur, quas praeterea in iure civili aliqua ex parte faciliores esse, quam in iure criminali, non negaverim. Romae enim doctissimi ac nobilissimi quique viri ad iuris civilis cognitionem sese converterunt, quorum libellis institutionum studia historica maxime adiuvantur ac sustentantur. De iure criminali, quippe quod priore tempore perpaucis tantum legibus, actionibusque popularibus contineretur, exiguos tantum habemus libros, eosque ita conscriptos, ut quae illo, quo compositi sunt, tempore viguerint, commemorentur, nusquam tamen aut perraro priorum temporum ratio habeatur. Quo factum est, ut de antiquissimo Romanorum iure criminali pauca tantum memoriae tradita sint, id quod plerosque viros doctos deterruisse videtur, quominus operam, utpote difficilem et exiguos tantum fructus promittentem, historicis de iure criminali perscrutationibus navarent. Quae cum ita sint, sperare posse mihi videor, fore, ut, cum nulli fere exstent libri, quorum ad exempla commentationem hancce componere potuerim, venia mihi detur beni-

gnior, ut qui nova paene via eaque difficillima ingrediar.

§. 2.

Priusquam vero ad rem ipsam, de qua scribendum est, transgrediar, nonnulla in universum disputare mihi liceat, quae quo melius ea, quae sequuntur, intelligi possint, praemittenda videntur.

Legislationem civilem antiquiorem esse ubique criminali, omnium peraeque populorum historia demonstratur. Neque vero hoc mirandum. Civilis enim est legislationis, ea, quae in ipsa hominum vita forensi, eorumque quotidiana inter se consuetudine, litigosa et incerta habeantur ad certas quasdam leges revocare, indeque fit, ut, cum unus quisque quotidie fere, leges necessarias esse sentiat, magis magisque iam ex civitatum primordiis, leges civiles in dies excolantur et augeantur. Legislatio vero criminalis et simplicior esse solet, cum omnia fere crimina maxime in civitatum initiis, paucis tantum legibus coerceri soleant (— nam cum maiore animi cultura nova quasi crimina exoriuntur, cum quod antea contra mores quidem commissum, non vero crimen habitum sit, postea saepe tanquam crimen puniatur —): et tempore plerumque est posterior, quia ibi demum de criminibus

feruntur leges, ubi vel legibus civilibus iam condita est respublica, vel scelere quodam, omnium fere animi quasi laesi sunt. Sic factum est, ut Romae quoque leges civiles iam perfectas inveniamus, quo tempore leges criminales adhuc rarae atque imperfectae exstiterant.

§. 3.

Unumquodque crimen contra aliquem ex civibus commissum, non illum solum, sed totam simul civitatem laedit, cuius interest omnium civium salutem, eorumque iura integra servari. At ubi legislatio criminalis adhuc inculta est — id quod maxime evenire solet, ubi nondum rex totius civitatis quasi vindex est, qui, una cum civitate sceleribus commissis laesus, summa cura ulcisci ea studeat, — plerumque is, qui crimine quodam violatus est, ut damnum, quod ex maleficio cepit, sibi restituatur, potius curabit, quam ut facinorosus ille publicae salutis contemptor, tanquam totius civitatis reus, in ius vocetur, atque poenas publicas luat. Idque praecipue in crimine vis apparet, quod maxima ex parte ad bona aliena a reo affectata spectat, quorum ut sibi pretium solvatur, qui laesus est, magis efflagitare solet, quam ut scelus vis commissae iusta poena animadvertatur. Quo factum, est ut Romae Praetor de vi prius in-

terdiceret, quam leges, quibus vis tanquam crimen puniretur, ferrentur. Cum vero increscente Imperio Romano, maiestas quaedam populi Romani exoriretur, et Romani civis nomen quasi sacrosanctum existimaretur, vis contra civem adhibita non solum propter bonorum laesionem, sed propter nomen Romanum spretum punienda videbatur et ita crimen vis cum perduellione confundebatur, cuius in locum cum sub finem liberae Reipublicae Romanae singulares leges, de maiestate diminuta latae, succederent, peculiares etiam leges de vi commissa datae sunt.

§. 4.

Cum libera Reipublicae forma sublata Imperatorum maiestas magis magisque eniteret, qui vi commissa universam civitatem laesisse videbatur, Imperatorum simul maiestatem sprevisse credebatur, quia Imperatoris atque civitatis una erat eademque persona ac maiestas, et ita factum est, ut quaeque vis commissa simul existimaretur crimen laesae maiestatis. Sic innumerabilia fere maiestatis, sed singula tantum vis commissae iudicia commemorata invenimus apud Tacitum, qui disertis verbis crimen maiestatis *omnium accusationem comple-*

nenium vocat [1]). Ex quibus facile apparet, qui factum sit, ut seriore tempore quae in Digestis de vi et de maiestate constituta repperimus, inter se quam maxime confusa sint, ut saepe quid vis, quid maiestatis crimini tribuendum sit, vix discerni queat. Cum vero vis, id quod iam antea tetigimus, una et iura privata et publica violet, in iudicio autem de crimine vis, maiestas vel civitatis vel Imperatoris spreta puniatur, facile intelligi potest, cur permissum fuerit, una cum iudicio publico actionem civilem de damno restituendo cumulare [2]), et hac ratione Praetoris interdicta de vi in codicem recepta explicanda sunt. Seriore autem tempore vim publicam et privatam sub uno violentiae nomine in codice comprehensam [3]) invenimus, quod utraque Imperatoris maiestatem aeque violari Romani crediderunt. Illud autem nomen iam Tiberio regnante obtinuisse, ex Taciti annalibus apparet, qui Cyzicenis incuriam caerimoniarum D. Augusti, additis violentiae crimi-

1) Tacitus Annal. III, c. 38 . . . addito maiestatis crimine quod tum omnium accusationum complementum erat.

2) L. 1. C. quando civilis actio criminali praeiudicet (IX, 31.)

3) L. 3. C. unde vi (VIII, 4.) L. 6. C. ad leg. Iul. de vi publica et privata (IX, 12.)

nibus adversum cives Romanos obiectam esse tradit [1]).

Haec in universum de crimine vis disputanda mihi visa sunt. Iam ad singulas, quae de illo crimine promulgatae sunt, leges enumerandas me convertam, ita, ut in tres eas dispertiar periodos, quarum prima antiquissima tempora, atque leges duodecim tabularum, altera liberae Reipublicae tempora, tertia denique Imperatorum constitutiones amplectatur.

CAPUT PRIMUM.

De iis, quae antiquissimis temporibus ac lege duodecim tabularum de crimine vis constituta sint.

§. 5.

Antiquissimis iam Romanae Reipublicae temporibus vim saepissime esse commissam, ex ipsa rerum natura coniicere licet, praesertim si ea, quae de Romanorum origine Livius [2]) tradidit, vera esse concedimus. Quos enim homines asylus coegerat, eos legibus magis, quam

1) Tacit. Annal. IV, c. 86. med.

2) Livius I. c. 6 sqq.

viribus suis usos esse, haud est verisimile. Quamcunque vero Romae originem fuisse statuimus, id certe credendum est, si ne nostris quidem temporibus leges de vi latae supervacaneae existimantur, civitatum initia violentiae criminibus non caruisse. Tanto magis igitur mirandum est, quod antiquissimis illis temporibus non solum nullam legem de vi latam, sed ne quaestionem quidem exercitam inveniamus: cuius rei causam Sigonius [1]) eam exstitisse putat, quod, quae postea crimen vis complexum sit, ea antea legibus de maiestate et de sicariis comprehensa fuerint. Quam in sententiam equidem non posse discedere mihi videor. Nam si statuimus, omnia illa scelera, quae postea crimini vis adnumerabantur, antea legibus de maiestate et de sicariis promulgatis, fuisse ascripta, non apparet, cur novae illae leges de vi latae sint: ac praeterea tenendum est, crimina vis haud dubie prius iam occurrisse, quam leges de maiestate et de sicariis, quas sub finem demum Reipublicae Romanae latas esse constat, exstitissent. Quaeritur iam, qui factum sit, ut de vi antiquis illis temporibus nihil fere sancitum inveniamus?

1) Sigonius de iudiciis lib. II, tit. 33.

Unamquamque vim commissam et singulos cives et universam una civitatem laedere, iam Cicero [1]) ipse in oratione pro Milone habita, commemorat. Quodcunque igitur crimen vis, quippe quod et ius publicum et ius privatum violet, et publicam et privatam ultionem, id est poenam et criminalem et civilem sustineat, necesse est: idque in Romano quoque Imperio ab antiquissimis iam temporibus factum esse facile demonstrari potest.

Si veteres inspicimus Romanorum leges, unum tantum invenimus crimen, cui certa poena constituta erat, et quidem perduellionem, quo uno crimine scelera vel maxime diversa continebantur. Sic Horatius [2]) qui victor cum spoliis Curiatiorum Romam ingressus, sororem unius ex Curiatiis sibi desponsati caedem deplorantem, gladio percussit, a rege duumviris „qui Horatio perduellionem iudicent" committitur. Sic Metti Fuffetii [3]) Albanorum ducis, qui ancipitem in proelio cum Fidenatibus prodiderat mentem, tanquam perduellis corpus equis distra-

1) Cicero pro Milone c. 5. Nulla vis est in libera civitate suscepta inter cives non contra rempublicam.

2) Livius I, c. 26.

3) Livius I, c. 28.

hendum datum est. Sic Bruti filii [1]) una cum nobilissimis adolescentibus perduelles securi feriuntur. Sic Spurio Cassio [2]), qui regnum affectasse credebatur, perduellionis diem dictam, eumque populi iudicio damnatum esse constat. Sic Manlium [3]) eadem regni cupiditate flagrantem, perduellionis damnatum, et de saxo Tarpeio deiectum esse, memoriae traditur. Sic praeterea Sempronius Blaesus [4]) Cn. Fulvio propter exercitum in Apulia amissum perduellionis diem dixit. Sic porro Rutilius [5]) C. Claudium, quod concionem a se avocasset, et Censores, qui ultro tributa locassent, perduelles iudicavit. Perduellionis reum denique habitum esse eum, qui alium necasset, seditione facta, Cicero [6]) testatur, defendens Rabirium perduellionis accusatum, quod Saturninum interfecerat.

Quae cum ita sint, recte mihi videtur dixisse Heineccius [7]) perduellione quaecunque

---

1) Livius II, c. 5,

2) Livius II, c. 41. extr.

3) Livius VI, c. 20. med.

4) Livius XXVI, c. 3. extr.

5) Livius XLIII, c. 26. extr.

6) Cicero pro Rabirio c. 5.

7) Heineccii antiquitates Romanae lib. IV, tit. 18, §. 47.

crimina contra civium libertatem, et publicam securitatem commissa, contineri, idemque confirmat Petiscus [1]) contendens: quicunque contra ius libertatis, civem Romanum quasi peregrinum tractaverat, reus perduellionis ad populum fiebat. At quis non videt, quae postea legibus de vi vetita fuerint, ea omnia iam perduellionis crimen amplexum esse? Cum vero increscente iam Romanorum Imperio, sub liberae Reipublicae finem, crimen perduellionis commutaretur in crimen maiestatis, de iis quoque sceleribus, quae antea tanquam partes veteris perduellionis existimabantur, maiestatem vero diminuere non videbantur, eamque ob causam ad leges de maiestate diminuta promulgatas, non pertinebant, singulares latae sunt leges, itaque leges de vi exortas esse crediderim, quas eodem demum tempore invenimus, quo, perduellione vetere obsoleta, primae de maiestate leges sunt rogatae.

Haec de criminali vis commissae poena, quam eandem perduellionis fuisse existimaverim.

---

1) Petisci Lexicon antiquitatum Romanarum s. v. perduellio.

§. 6.

Cum vero crimen vis, quippe quod simul et iura privata singulorum, et totius civitatis iura laedat, civilem quoque poenam requirat, ea qualis antiquissimis Reipublicae Romanae temporibus fuerit, videamus. Quam equidem ea sola in re positam esse existimem, quod iam lege XII tabularum rerum vi possessarum usucapio sit prohibita, id quod postea comprobandum mihi erit, cum ante me nemo, quantum scio, hanc coniecturam fecerit, sed omnes adhuc viri docti peraeque opinati sint, lege demum Plautia rerum vi possessarum usucapionem esse impeditam. At si fingamus, leges iam XII tabularum inhibuisse eiusmodi rerum usucapionem, de vi nihil amplius constituendum erat: nam ubi rei, quam vi sibi esse ereptam dominus comprobare poterat, nulla procedebat usucapio, res ipsa nunquam domini esse desiit, cui eam ubicunque inventam vindicare licebat. Iam probaturus sum non lege demum Plautia, sed iam lege XII tabularum rerum vi possessarum usucapionem fuisse vetitam. Cuius quidem sententiae et generalia quaedam argumenta, ex ipsa rerum conditione hausta, et singularia, ex locis quibusdam Digestorum sumpta, afferri posse videntur. Et generalia quidem haec fere sunt.

Si legem demum Plautiam rerum vi possessarum usucapionem inhibuisse fingamus, ante eam legem usucapionem eiusmodi licitam fuisse, manifestum est. Cum vero lege XII tabularum rerum furtivarum usucapionem prohibitam esse constet [1]): cur melior fuerit furis, quam eius, qui vi eripuit, conditio, nulla exstat iusta causa. Possis quidem dicere, rerum vi possessarum usucapionem non ita facile potuisse procedere, cum res furtivae clam fuerint surreptae, vi possessae autem palam sint extortae, ideoque illud vitium usucapionis omnibus satis notum fuerit: at, etiamsi vis adhibita omnibus satis cognita fuerit, id ipsum re vera non fuit vitium usucapionis, quippe cum vis legibus non fuerit vetita. Iniquum igitur erat bonae fidei possessori, qui rem a fure emerat, nullam competere usucapionem, quae ei, qui a latrone emit, licita erat. Quae cum ita sint, verisimilius mihi videtur, lege XII tabularum earum rerum, quae clam et quae vi ereptae essent, vetitam fuisse usucapionem. Quam quidem coniecturam praeterea locus quidam, ex Venuleii stipulationum libro

---

1) §. 2. I. de usucapionibus (II, 6.) ... Nam furtivarum rerum lex XII tabularum et lex Atinia inhibent usucapionem.

XVII. sumptus, mirifice iuvat et confirmat. Is enim dicit:

> **L. ult. D. de vi bonorum raptorum** (XLVII, 8.) Quod vi possessum raptumve sit, antequam in potestatem domini haeredisve eius pervenit, usucapi Lex vetat.

Hoc quidem loco, doctissimi quique viri verbum *lex* ad legem Plautiam respicere existimarunt, quod equidem ad legem XII tabularum potius referendum crediderim. Primum enim verbum *lex*, ubi nihil aliud adiectum est, plerumque legem XII tabularum significare, satis notum est, id quod ideo admonui, non ut iam recipiendam meam esse coniecturam, tali argumento comprobarem, sed eam certe admittendam demonstrarem. Deinde vero cum hoc loco nostro alium conferamus, quo de lege Plautia agitur. Dicit enim Iulianus libro Digestorum suorum XLIX.

> **L. 33. §. 2. Dig. de usurpationibus** (XLI, 3.). Si dominus fundi homines armatos venientes existimaverit, atque ita profugerit, quamvis nemo eorum fundum ingressus fuerit, vi deiectus videtur. Sed nihilo minus id praedium, etiam antequam in potestatem domini redeat, a bonae fidei possessore usucapitur, quia lex Plautia et

Iulia ea demum vetuit longa possessione capi, quae vi possessa fuissent: non etiam ex quibus vi quis deiectus fuisset.

Hic locus quantum a priore illo distet, quis est, quin videat? Illo enim priore loco, res raptas usucapi vetitum est, proinde tum quoque, cum a bonae fidei emtore possideantur. Ex hoc vero novissimo nostro loco usucapio ei tantum non procedit, qui vi ipse possidet; non vero ei, qui bona fide fundum tenet, ex quo vi quis deiectus est. Inde patet in lege ult. Dig. de vi bonor. raptor. verbum *lex* ad legem Plautiam spectare non posse. Cum vero alia quaedam lex, ante legem Plautiam de rerum vi possessarum usucapione lata, a nullo auctore memoriae tradita sit, necesse est, illud verbum *lex* ad legem XII tabularum referamus.

Quam quidem sententiam praeterea analogia quaedam videtur comprobare.

Lege enim XII tabularum in universum rerum furtivarum usucapionem esse vetitam, Caius [1]) nobis auctor est. Idemque confirmat Iustinianus, dicens:

In-

1) Caii Institutiones II. §. 45. Nam furtivam rem lex XII tabularum usucapi prohibet.

Instit. §. 2. de usucapionibus (II, 6.) . . . nam furtivarum rerum lex XII tabularum et lex Atinia inhibent usucapionem.

Cum vero legem Atiniam anno demum quingentesimo quinquagesimo septimo latam esse constet, coniicere licet, leges XII tabularum lege illa Atinia aliqua ex parte esse commutatas, idque patet ex Pauli libro LIV. ad Edictum.

L. 4. §. 6. Dig. de usurpationibus (XLI. 3.). Quod autem dixit lex Atinia: ut res furtiva non usucapiatur, nisi in potestatem eius, cui surrepta est, revertatur: sic acceptum est, ut in domini potestatem debeat reverti: non in eius utique, cui surreptum est. Igitur creditori surrepta, et ei, cui commodata est, in potestatem domini redire debet.

Ad hanc igitur legem Atiniam referenda sunt verba Iustiniani, quae in Institutionum titulo de Usucapionibus inveniuntur:

Instit. §. 8. de usucapionibus (II, 6.). Aliquando etiam furtiva vel vi possessa res usucapi potest: veluti si in domini potestatem reversa fuerit. Tunc enim vitio rei purgato, procedit eius usucapio.

Cum igitur lex Atinia ita legem XII tabularum, quae in universum res furtivas usucapi vetuerat, angustioribus tantum circumscripserit finibus, vel ex ipsis verbis: *aliquando etiam furtiva vel vi possessa res usucapi potest:* coniicere licet, de vetita rerum vi raptarum usucapione in ipsis legibus XII tabularum mentionem fuisse factam[1]), cum legem Plautiam, quae prima eiusmodi rerum usucapionem prohibuisse plerumque traditur, anno demum DCLXIV. multo igitur post legem Atiniam, latam esse constet.

Quemadmodum vero lex Atinia, illam XII tabularum legem, ne omnino res furtivas usucapere liceret, coercuit: sic legem quoque Plautiam, ea quae de rebus vi ereptis in legibus XII tabularum constituta erant, restrinxisse tantum, credibile est: ita ut lege quidem XII tabularum in universum res raptas usucapi vetitum fuerit, lex vero Plautia ei tantum, qui ipse vi, non qui bona fide rem raptam possideret, usucapionem ademerit [2]).

Ex omnibus hisce causis vix dubitari posse mihi videtur, quin iam lege XII tabularum usu-

1) Caii Inst. II. §. 49.

2) Cf. L. 33. §. 2. D. de usurpationibus (XLI, 3.) de qua supra pag. 19. extr. expositum est.

capio rerum vi raptarum impedita fuerit. Quodcunque igitur crimen vis prioribus illis temporibus, quod attinet ad ius criminale, poena perduellionis, quod vero ad ius civile spectat, usucapione rerum vi raptarum vetita coërcebatur.

Haec sola sunt, quae prima illa, quam statuimus, periodo certa de crimine vis tradi possint. Plura iam adiicere non conabor, ne multorum veterum scriptorum, qui de iis, quae ante mundum procreatum facta sint, immensa librorum volumina conscripserunt, stultitiam imitatus, in iustas virorum doctorum reprehensiones incurram, vanas atque inutiles faciens coniecturas, quas de rebus ita incertis atque obscuris innumerabiles quisque facile proferre potest, quippe quae certis argumentis neque comprobari, neque refutari queant.

CAPUT SECUNDUM.

De legibus, quae libera Republica Romana de crimine vis latae sunt.

§. 7.

Venio iam ad alteram huius commentationis partem, quae liberae Reipublicae tempora a lege inde XII tabularum, usque ad Augustum

Imperatorem, cuius dominatione libertas concidit eversa, complectitur.

Cum priori igitur tempore crimen vis, perduellionis nomine comprehensum fuisse, supra comprobare studuerim, iam quid perduellione pedetentim obsoleta de vi constitutum sit, videamus.

Cum increscente Imperio Romano, ipsius Romani nominis splendor atque dignitas augeretur, ut maiestas quaedam ipsi nomini inesse crederetur, factum est, ut civis Romanus sacrosanctus ipse haberetur, indeque Sempronius Gracchus A. U. DCXXXI. legem de civium libertate pertulit, quo cautum est, ut servos tantum flagellis caedere liceret. Qua re vetus illa perduellio, quae flagellari et ad supplicium dedi reos requirebat [1]), ipso temporis cursu in usu esse desiit, cuius in locum crimen maiestatis aliqua ex parte successisse, lex Apuleia maiestatis, et lex Varia maiestatis, quae parvo temporis spatio interposito, altera alteram sequebantur, Apuleiam enim anno DCLII. Variam anno DCLXIV. latam esse constat [2]), demonstrant.

---

1) Livius I, c. 26. Cicero pro Rabirio c. 4.

2) Sigonius de iudiciis lib. II. c. 29. Bachii Historia iuris lib. II. c. 2. sect. 1. §. 63. et §. 68. Heineccii Antiquitates Romanae lib. IV. tit. 18. §. 47. seqq.

Eodem fere tempore, quo perduellionem ex usu decessisse verisimile est, primas invenimus leges de crimine vis promulgatas, easque leges Plautiam et Lutatiam, ut vel inde pateat, crimen vis quippe de quo ante illud tempus nulla lex exstiterit, priore tempore annumeratum esse crimini perduellionis. Duae igitur primae illae leges, de crimine vis latae, lex Plautia vel Plotia fuere atque lex Lutatia, quarum utra tempore prior sit existimanda, inter viros doctos magna est dissensio.

Ernestius enim in Clavi sua Ciceroniana s. v. Lex Plotia merito vituperat Sigonium, quippe qui in libro de iudiciis secundo c. 33. legis Plotiae mentione facta, confundat eam cum lege Lutatia, et utramque eandem esse censeat. Legem vero Lutatiam Ernestius l. l. anno DCL latam esse contendit, Plautiam vel Plotiam anno DCLXIV. Nihilo minus tamen vir doctissimus Ernestius mirifice ipse sibi repugnat, quippe qui Lutatiam legem priorem fuisse Plautia disertis verbis dicens [1]), legem tamen Lutatiam eum in finem latam esse tradat, ut etiam festis diebus de vi quaeri posset, ex lege Plautia,

1) Ernestii clavis Ciceroniana s. v. L. Lutatia et s. v. L. Plotia.

quam post legem demum Lutatiam esse datam, antea confirmaverat.

Contra ea Bachius [1]) legem Lutatiam A. U. DCLII., legem vero Plautiam anno DCLXV. rogatam esse docet, quam sententiam rectiorem quidem Ernestiana, non tamen omni ex parte probandam existimaverim.

Heineccius [2]) denique, Sigonii [3]) auctoritatem secutus, Lutatiam legem cum Plautia confundit, quam anno DCLXXV. latam esse refert.

Iam ipsi his de legibus quid statuendum sit videamus. Legem Lutatiam, Lutatio Catulo et C. Mario Coss. latam esse et Bachius et Ernestius contendit. Uterque vero Lutatium Catulum patrem cum Lutatio filio confundit. Nam cum Cicero in oratione pro Coelio c. 29.: *De vi quaeritis? quam legem Q. Catulus armata dissensione civium, reipublicae paene extremis temporibus tulit* dicat, non Lutatius Catulus pater, quem anno DCLI. una cum Mario Consulem fuisse Teutonesque cum Mario ad Aquas Sextias fudisse constat, sed Lutatius Catulus filius intelligendus

---

1) Bachii historia iuris lib. III. c. 1. sect. 2. §. 9. et 10.

2) Heineccii antiquitates Romanae IV. 18. §. 47.

3) Sigonius de iudiciis II. 33.

est, qui cum M. Aemilio Lepido Consul fuit anno DCLXXV, quo anno dissensio inter Catulum et Aemilium Lepidum, qui Sullae acta rescindere tentavit, exorta bella civilia procreavit, qualia Lutatio Catulo patre Consule nulla exstitisse cognitum habemus. Lutatiam igitur de vi legem anno demum DCLXXV. latam esse, rectius statuitur. Contra ea vero lex Plautia Ernestio, itemque Bachio auctore a M. Plautio Silvano, Tribuno plebis, Strabone et Catone Coss. rogata est: quos cum A. U. DCLXIV. Consules fuisse sciamus, rectior videtur sententia Ernestii, legem Plautiam anno DCLXIV. datam esse referentis, quam Bachii, qui anno DCLXV. factum id esse contendit.

Quae cum ita sint, lex Plautia prior est habenda lege Lutatia, id quod vel inde apparet, quod lege Lutatia sancitum sit, ut etiam diebus festis, ludisque publicis, quibus iudicia alia nulla erant [1]), de vi quaeri posset, unde coniicere licet, iam antea aliam quandam de crimi-

---

1) Cic. pro Coelio c. 1. Si quis, iudices, forte nunc adsit, ignarus legum iudiciorum, consuetudinis nostrae, miretur profecto, quae sit tanta atrocitas huius causae, quod, diebus festis, ludisque publicis, omnibus forensibus negotiis intermissis, unum hoc iudicium (sc. de vi) exerceatur.

ne vis exstitisse legem, cuius exercendae venia etiam ad dies festos lege Lutatia prolata est. Errat igitur vir doctissimus Bachius, qui legem Lutatiam priorem existimat lege Plautia, errat vir doctrinae singularis Ernestius, quem parum his de legibus sibi constare, supra iam exposui, errat denique Dieckius [1]), qui idem legem Lutatiam, eodem, quo legem Apuleiam de maiestate, anno DCLII. latam esse coniicit, eaque coniectura nisus fieri potuisse negat, ut crimen vis in veteris illius perduellionis locum aliqua ex parte succederet.

§. 8.

Iam singulas quasque leges de vi promulgatas accuratius paullo inspiciamus, earumque primam legem Plautiam, cuius ferendae ea videtur fuisse ratio.

Strabone et Catone Consulibus M. Plautius Silvanus, tribunus plebis, anno DCLXIV. tres tulit leges, alteram iudiciariam, alteram de vi, tertiam denique de civitate Italiae incolis, qui sexaginta inde a lege lata dies nomina apud Praetorem profiterentur, tribuenda [2]). Cuius quidem

1) Dieck Historische Versuche über das Criminalrecht der Römer. Abh. 1. §. 28. extr.

2) Cicero pro Archia c. 4.

primae legis iudiciariae id erat argumentum, ut iudicia, quae ex lege Sempronia [1]) a senatoribus ad equites erant translata, inter equites, et senatores communicarentur. Hic ordo iudiciorum publicorum ita mutatus, novas fortasse leges requirere visus est, namque ex illo tempore permultas leges novas, de criminibus latas videmus. Accedit, ut eo, quod tertia illa lege Plautia civitas plerisque daretur Italiae incolis, vetus perduellio, quae flagella et supplicium, cuius vel mentionem cive Romano atque homine libero indignam Cicero [2]) vocat, magis magisque obsolesceret, et ita fortasse singulares de singulis criminibus leges constitui necessarium existimaretur. Sic anno DCLII. lex Apuleia de maiestate [3]), anno DCLXIV. lex Varia maiestatis [4]), anno DCLXXIII. lex Cornelia de veneficiis et sicariis [5]), et innumerabiles aliae leges rogatae

---

1) Ernestii Index Legum Romanarum s. v. Semproniae leges.

2) Cicero pro Rabirio. c. 5.

3) Ernestii Index legum Romanarum. s. v. Apuleia. Bachii historia iuris Romani lib. II. c. 2. sectio 1. §. 63. Dieck l. l. §. 24. et §. 31.

4) Heineccii antiquitates Romanae IV. 18. §. 47. Sigonius de iudiciis II. 29. Dieck l. l. §. 24. et §. 33.

5) Sigonius de iudiciis. II. 31.

sunt, de eiusmodi criminibus, quorum antea ne nomina quidem exstiterunt. Sic idem Plautius, quem legis iudiciariae et civitatis Italis donandae auctorem memoravimus, primam de vi armatis hominibus commissa, legem tulit cuius haec erat conditio.

Anno ab urbe c. DCLXIII. exortum est bellum sociale, quod, quia a Marsis primum motum est, Marsicum est dictum. Cum enim M. Livius Drusus, tribunus plebis, qui legem de civitate Italicis sociis tribuenda rogaverat, sed non pertulerat, interfectus esset seditione a Servilio Scaepione et L. Marcio Philippo Consulibus commota, socii foedus inter se inierunt, de civitate armis sibi comparanda. Tum M. Plautius Silvanus, tribunus plebis, anno DCLXIV. rogationem tulit [1]), ut civitas tribueretur Italiae incolis, qui sexaginta inde a lege lata dies nomina apud Praetorem professi essent. Qua cum lege perduellionem, cuius poenam civibus Romanis indignam sciebat, maxima ex parte sublatam esse intelligeret, idem aliam praeterea legem tulit, qua de singulari eoque valde frequenti crimine, quod adhuc perduellio amplexa erat, sanciretur, eamque legem de vi Plautiam fuisse

---

1) Cicero pro Archia poeta c. 4.

constat; cuius quale fuerit argumentum, iam perscrutemur.

Anno iam DCLII. Apuleius Saturninus, occasione motuum, qui cum Cimbri superatis Alpibus Q. Catuli exercitum invasissent, et equites Romani, relictis praesidiis, Romam fugissent, Romae exorti erant, legem tulerat, ut, qui maiestatem populi Romani diminuisse viderentur, certa poena afficerentur. Ea vero in lege de vi nihil fuisse constitutum, Cicero ipse profitetur. Is enim Norbani in causa defensorem eius, quamvis vim et lapidationem factam, principem Senatus et civitatis M. Aemilium lapide percussum, L. Cottam et T. Didium tribunos plebis, qui rogationi intercedere vellent, vi pulsos, concederet, maiestatem tamen his rebus diminutam, et ex lege Apuleia agendum, negasse, demonstrat [1]). Quaeritur iam, qua nam ex lege seditiones contra Rempublicam factae, diiudicandae fuerint. Primum autem XII tabulis cautum esse Porcius Latro refert: NE QUIS IN. URBE. COETUS. NOCTURNOS. AGITARET. idemque lege quadam Gabinia, quae quo anno lata sit, parum constat, edictum esse tradit, ut, qui

1) Cicero de Oratore II. c, 25, c. 47. extr. c. 49. extr.

conciones ullas in urbe conflavisset, more maiorum capitali supplicio afficeretur [1]). Qua in lege Gabinia, cum nulla facta sit maiestatis diminutae mentio, ea ad leges maiestatis vix referri potest. Rectius certe legem de vi eam appellare possis (quanquam de eo nomine nihil constat), cum id, quod lege illa Gabinia sancitum erat, in legem Plautiam de vi receptum videamus. Lege enim Plautia de vi a L. Paullo rogatum esse Catilinam, quem insidias urbi struxisse, et nocturnos egisse coetus satis notum est, Sallustius [2]) testatur, eademque lege Plautia de vi P. Clodium, qui idem seditiones in urbe moverat, a Milone reum factum esse, Cicero commemorat [3]).

---

1) Haec adhuc exstant verba Portii Latronis declamat. in Catilinam c. 16.: XII tabulis cautum esse cognoscimus: Ne quis in urbe coetus nocturnos agitaret: deinde lege Gabinia promulgatum, qui conciones ullas in urbe conflavisset, more maiorum, capitali supplicio multaretur: de te itaque Catilina sciscitor, tunc coetus istos commilitonum tuorum contra praecepta XII tabularum, contra leges nostras, contra senatus ac plebis auctoritatem, noctu cogendos esse putavisti?

2) Sallustii bellum Catilinarium c. 31. med. Et ipse Catilina lege Plotia interrogatus a L. Paullo.

3) Cicero pro Milone c. 13. Reus enim Milonis lege Plotia fuit Clodius. Cf. Cicero pro Sextio c. 43. et 44. Cicero in Vatinium c. 17.

Quae cum ita sint, verisimile videtur, pleraque illa crimina, quae antea complexa erat perduellio, hac deleta, nomine vis comprehensa esse, ita ut de iis universis lex Plautia poenam constitueret. Namque legem Apuleiam maiestatis, prius quidem latam, singularem tantum casum, si qui militiam reliquissent, tetigisse, supra iam commemoravimus.

His praemissis ipsam legem Plautiam examinemus, quam ita restituit Sigonius [1]:

> Is, cuius quaestio haec erit, de eius capite quaerito, qui adversus Rempublicam coniurarit, insidias Senatui fecerit, magistratibus vim attulerit, qui cum telo in publico fuerit, aut seditionis caussa loca superiora occuparit, deque iis quotidie quaerito. Itemque de eius capite quaerito, qui possessorem e fundo hominibus armatis deiecerit dolo malo, aut armatis obiectis, ut inde profugerent, causam attulerit; prohibetoque, ne praedium, unde possessor deiectus sit, usucapiatur; eis damnatis aqua et igni interdicito.

Iam Ernestius vir doctissimus admonuit, Sigonium confudisse leges Plautiam et Lutatiam,

---

1) *Sigonius* de iudiciis II. 33.

cuius ne mentionem quidem Sigonius fecit: indeque multa eum de lege Plautia non satis distincte neque recte constituisse, facile intelligi potest. Prae ceteris vero ea in re erravit vir clarissimus Sigonius, quod iam ex lege Plautia quotidie de vi quaeri licuisse putet, id quod lege demum Lutatia esse permissum, et Bachius et Ernestius auctor est: et praeterea vel inde potest perspici, quod Coelius Ciceroni scripserit [1]: Sempronium Rufum, cuius interfuerit M. Tuccium quam primum accusari post ludos demum Romanos, reum illum fecisse lege Plautia de vi, unde coniicere possis, ex lege Plautia diebus festis agi nondum licuisse: id, quod tanquam singulari modo a Catulo Lutatio factum, Cicero in oratione, quam pro Coelio habuit, commemorat [2].

Etiam de reliquis, quae Sigonius de lege Plautia statuit, multa sunt incerta. Verba enim qui adversus Rempublicam coniurarit, insidias Senatui fecerit, magistratibus vim attulerit, saxis et ignibus alienas aedes occupaverit in lege Lutatia esse promulgata, comprobari pot-

1) Ciceronis epistolae ad Diversos lib. VIII. epist. 8.

2) Cicero pro Coelio c. 1. c. 29.

est [1]), in lege Plautia iam fuisse constituta, non potest.

Sed ne extrema quidem verba, quae in legem Plautiam Sigonius recepit, comprobanda videntur. Dicit enim: prohibetoque, ne praedium, unde deiectus possessor sit, usucapiatur. Contra ea Iulianus in L. 33. §. 2. D. de usurpationibus tradit, legem Plautiam et Iuliam ea praedia vetuisse longa pessessione capi, quae vi possessa fuissent, non etiam, ex quibus vi quis deiectus fuisset [2]).

Quae cum ita siut, ex iis, quae Sigonius lege Plautia constituta esse docuit, haec fortasse tantum verba: qui cum telo in publico fuerit aut seditionis caussa loca superiora occuparit lege Plautia reus esto, recte statuta, sunt existimanda, ita ut vel inde magis sit verisimile, Le-

---

1) Cicero pro Coelio c. 1. Idem, cum audiat esse legem (sc. Lutatiam) quae de seditiosis consceleratisque civibus, qui armati senatum obsederint, magistratibus vim attulerint, rempublicam oppugnarint, quotidie quaeri iubeat etc. Cicero de haruspicum responsis c. 8. Deinde, cum ille saxis et ignibus et ferro vastitatem meis sedibus intulisset: decrevit Senatus, eos, qui id fecissent, lege de vi Lutatia, quae est in eos, qui universam Rempublicam oppugnassent, teneri — — —

2) L. 33. §. 2. D. de usurpationibus (XLI. 3.) vid. quae dixi pag. 16.

gem Gabiniam, de qua supra egimus [1]) in legem Plautiam receptam paulloque tantum amplificatam esse, ea ratione, ut poena capitalis, e lege Gabinia constituta, quippe quae moribus iam repugnaret, lege Plautia abrogaretur, cuius in locum aqua et igni interdictio successit.

Praeterea monendum est, hanc legem Plautiam a Iuliano Icto nominari legem Plautiam et Iuliam, id quod inde explicari potest, quod Iulius Caesar, qui tunc temporis aut Censor, aut, ut Suetonius [2]) refert, Tribunus militum erat, M. Silvano Plautio auctor huius legis ferendae fuisse, dicatur.

§. 9.

Accedo ad legem Lutatiam de vi, quam anno demum DCLXXV., latam esse, supra [3]), demonstrare studii. Hoc enim anno, Sulla mortuo, dissensio inter Aemilium Lepidum et Q. Lutatium Catulum Consules, exorta est, cum Lepidus Sullae acta rescindere tentaret, Catulus resisteret [4]). Quin arma civilia in ipsa urbe ver-

1) Cf. quae dixi pag. 28.

2) Suetonii vita Iulii Caesaris c. 5.

3) Cf. quae dixi supra pag. 23.

4) Cicero in Catilinam oratio II. c. 10. Dissensit M. Lepidus a clarissimo et fortissimo viro Q. Catulo.

versabantur, victorque Catulus, pulso ex urbe et in Sardinia interfecto Lepido, legem Lutatiam tulit, quam duobus praesertim locis Cicero commemorat. Dicit enim in oratione pro Coelio.

> c. 29. De vi quaeritis? Quae lex ad imperium, ad maiestatem, ad statum patriae, ad salutem omnium pertinet: quam legem Q. Catulus armata dissensione civium, rei publicae paene extremis temporibus tulit: quaeque lex, sedata illa flamma consulatus mei, fumantis reliquias coniurationis exstinxit.

Idemque in eadem oratione pro Coelio exclamat:

> c. 1. Si quis, iudices, nunc forte adsit, ignarus legum iudiciorum, consuetudinis nostrae: miretur profecto, quae sit tanta atrocitas huius causae, quod diebus festis ludisque publicis omnibus negotiis forensibus intermissis, unum hoc iudicium exerceatur. Idem, cum audiat esse legem, quae de seditiosis consceleratisque civibus, qui armati Senatum obsederint, magistratibus vim intulerint, rempublicam oppugnarint, quotidie quaeri iubeat: legem non improbet etc.

Praeterea Cicero in oratione de Haruspicum *responsis*, refert:

c. 8. Cum ille, (sc. Clodius) saxis et ignibus et ferro vastitatem meis sedibus intulisset: decrevit Senatus, eos, qui id fecissent, lege de vi, quae est in eos, qui universam rempublicam oppugnassent, teneri.

Quem novissimum locum de lege Lutatia esse explicandum, verba demonstrant, „lege de vi, quae est in eos, qui universam rempublicam oppugnassent" quae ex lege Lutatia originem duxisse patet e Ciceronis oratione pro Caecina c. 1.

Quibus ex omnibus locis apparet, lege Lutatia de vi internas praecipue seditiones, atque vim contra rempublicam vel magistratus susceptam, esse iudicatas, ita ut de eiusmodi sceleribus vel diebus festis quaeri liceret. Leges vero de maiestate illo tempore latas a legibus de crimine vis et seiungendas esse et facile discerni posse manifestum est, quamvis eas leges iam ab initio inter se confusas et commixtas esse, ut vix seiungi queant, plerique sentiant. Nam si deinceps omnes, quae illo tempore de maiestate promulgatae sunt leges, perscrutamur, iis non de seditionibus internis, sed vel de singulis quibusdam casibus, quibus maiestas populi Romani diminuta videretur, vel de armis sociorum, contra Rempublicam commotis, sancitum esse, cognoscimus. Sic anno iam DCLII. lex Apu-

leia [1]) maiestatem populi Romani diminuisse eum existimandum esse constituit, qui praesidiis atque castris relictis, Romam profugisset. Anno deinde DCLXIV. lege Varia maiestatis sancitum est [2]), ut quaestio haberetur de iis, quorum opera consiliove socii contra rempublicam Romanam arma sumpsissent. Sic denique lex Cornelia maiestatis, anno DCLXXII. lata est, quam Sigonius [3]) ita restituit:

> Praetor, qui ex hac lege quaeret, de eo quaerito, qui intercessionem sustulerit, aut magistratui, quominus munere suo fungatur, impedimento fuerit, qui exercitum e provincia eduxerit, aut sua sponte bellum gesserit. Qui exercitum sollicitaverit, qui ducibus hostium captis ignoverit, qui potestatem suam in administrando non defenderit. Qui civis Romanus apud externum regem versatus fuerit.

1) Bachii historia Iuris Romani lib. II. c. 2. sect. 1. §. 63. Dieck l. l. §. 31. Lege autem Apuleia maiestatis de vi nihil esse sancitum, apparet e Cicerone de Oratore II. c. 48.

2) Ernestii Index legum Roman. s. v. Varia. Heineccii Antiquitates Romanae IV. 18. §. 47. Dieck l. l. §. 33.

3) *Sigonius* de iudciis II. 27.

Nihil autem de vi, in ipsa urbe contra rempublicam commissa, neque de seditionibus internis, quibus omnis respublica oppugnaretur, quidquam constituit 1) haec lex Cornelia.

Sic denique tantum explicari potest, qui factum sit, ut uno saepe eodemque anno et de maiestate et de vi promulgarentur leges: id quod, si idem crimen utraque lex amplexa esset, absurdum certe existimandum foret. Seriori quidem tempore crimen et maiestatis diminutae et vis commissae uno saepe maiestatis crimine comprehensum esse, negari nequit, quod vero tum demum fieri solebat, cum tyranni rempublicam Romanam capesserent.

Sed redeo ad legem nostram Lutatiam, cuius rei habebantur, qui coniurationes contra rempublicam inirent, ac seditiones in ipsa urbe commoverent. Sed etiam de legatis, quos pulsari aut alia quadam iniuria affici lege Iulia de vi publica 2) postea vetitum est, iam lege Lutatia de vi quaedam sancita esse, apparet e Ciceronis oratione, quam habuit pro M. Coelio, qui lege

---

1) Cf. Dieck l. l. §. 34. seqq.

2) L. 7. D. ad leg. Iul. de vi publica (XLVIII, 6.). Lege Iulia de vi publica tenetur qui . . . . Item quod ad legatos, oratores, comitesve attinebit, si quis eorum quem pulsasse, et sive iniuriam fecisse arguetur. Cf. L. ult. D. de legationibus (L. 7.).

Lutatia de vi reus factus est, quod a Clodia, muliere quadam libidinosa, aurum mutuum sumsisset, quo servos ad caedem Dionis, legati Alexandrinorum, impelleret [1]). Quam crebra autem atque gravia iudicia de vi illo tempore exstiterint, permultae illae Ciceronis orationes testantur, in quibus de vi agitur. Sic Ligarium defendit, quem de vi Tubero accusaverat, quod in Africa Caesarianis partibus inimicus fuisset. Defendit Sextium, quem lege Lutatia de vi Clodiani postulaverant, propter caedem, quam anno superiore, cum de Ciceronis reditu ageretur, in foro factam dixerunt. Defendit idem Coelium, quem lege Lutatia de vi reum, quod legatis insidiatus esset, modo commemoravi. Sic Clodius Milonem de vi ad populum accusavit [2]), quod gladiatoribus rempublicam obsedisset. Sic denique Catilinae socii, qui in urbe remanserant, damnati sunt lege Lutatia de vi, cuius rei ipse Cicero in oratione pro Coelio te-

---

1) Cicero pro Coelio c. 21. Duo sunt enim crimina auri. . . . Aurum sumsit Coelus, ut dicitis, quod Lucceii servis daret, per quos Alexandrinus Dio, qui tum apud Lucceium habitabat, necaretur. Magnum crimen, vel in legatis insidiandis, vel in servis ad hospitem domi necandum, sollicitandis.

2) Ciceronis oratio pro Sextio c. 44. Cicero in Vatinium c. 17.

stis est [1]), quippe qui dicat: Quaeque lex Lutatia sedata illa flamma consulatus mei, fumantis reliquias coniurationis exstinxit.

Hac vero in lege Lutatia, tam ampla tamque gravi, nihil adhuc sancitum invenimus de eo, qui civem Romanum adversus provocationem (id quod haud dubie summa atque atrocissima vis est habenda) necaverit, quamvis inde, quod de hoc criminis genere eodem, quo de legatis iniuria affectis, fragmento agatur [2]), coniicere certe liceat, non lege demum Iulia de vi publica eiusmodi scelera esse vetita. Neque vero historiam accuratius perlustrantem effugiet, de crimine eius, qui adversus provocationem civem Romanum necaverit, iam ante legem de vi publica. quaedam esse constituta. Anno enim DCLXXXXV., L. Calpurnio Pisone Caesonino, et A. Gabinio Consulibus Clodius tribunus plebis legem tulit, ut: Qui civem Roma-

1) Cicero pro Coelio c. 29. Cicero pro Sulla c. 5. extr.

2) L. 7. D. ad. leg. Iul. de vi publica (XLVIII, 6.). Lege Iulia de vi publica tenetur, qui, cum imperium potestatemve haberet, civem Romanum adversus provocationem necaverit, verberaverit, iusseritve quid fieri, aut quid in collum iniecerit, ut torqueatur. Item, quod ad legatos, oratores, comitesve pertinebit, si quis eorum quem pulsasse, et sive iniuriam fecisse arguetur.

num indemnatum interemisset, ei aqua et igni interdiceretur: qua lege Cicero, etsi non nominabatur, tamen solus petebatur. Inde patet, lege Lutatia de vi de eiusmodi crimine nihil adhuc fuisse constitutum, quod si fuisset, Clodius Ciceronem lege Lutatia postulasset, neque vero novam ea de re tulisset rogationem. Cum vero is, qui adversus provocationem necaretur, indemnatus quasi interfectus existimaretur, facile intelligitur, qui factum sit, ut lege Iulia de vi publica teneri eum, qui civem Romanum adversus provocationem necasset, ac verberasset, constitueretur [1]).

§. 10.

Transeo ad legem de vi Pompeiam, quam singularem tantum Milonis causam esse complexam, doctissimi quique viri consentiunt. Cuius quidem legis ferendae ratio, qualis fuerit, ex ipsa Ciceronis oratione pro Milone apparet. Quo enim anno T. Annius Milo Consulatum petiit, eodem Praeturam ambiit Clodius. Qui cum debilem sibi futuram Milone consule praeturam, intelligeret, vitam Miloni eripere studuit, cum Consulatum non posset. Itaque, cum sciret

---

1) Cf. L. 25. D. de appellationibus (XLIX, 1.).

stato die iter solenne ac necessarium Miloni esse Lanuvium, ad flaminem ibi prodendum, Roma ipse Clodius pridie cum gladiatoribus Ariciam profectus, insidias ibi struxit Miloni. Qui cum postridie magno cum agmine servorum gladiatorumque advenisset, rixa exorta, Clodius interfectus est. Seditione deinde a Clodianis Romae commota, Pompeius ex Senatus Consulto ab interrege S. Sulpicio Consul sine collega creatus, consulatu statim inito, duas leges novas ex SCto tulit. Alteram de vi qua nominatim caedem in via Appia factam, et incendium curiae complexus est: alteram de ambitu; forma iudiciorum breviori proposita. Utraque enim lex hanc novam iudicii formam praescripsit, ut, primo non Praetor esset, de more, Quaesitor, sed is suffragiis populi ex Consularibus eligeretur: deinde prius, quam causa ageretur, testes per triduum audirentur; denique uno eodemque die ab accusatore et a reo peroraretur, ita ut ad dicendum accusator duas horas, reus tres haberet. Perlata ea Pompeii lege, et L. Domitio Ahenobarbo Quaesitore, suffragio populi creato, Milonem de vi accusarunt Appius maior, M. Antonius et Publius Valerius, qui usi sunt ex lege duabus horis. Tribus his accusatoribus respondit unus Cicero tribus horis, sed Clodianorum acclamationibus et conviciis perterritus, non ea,

qua solebat, constantia, ut damnatus Massiliam in exilium abiret Milo.

Ex omnibus hisce apparet de vi lege illa Pompeia nihil novi esse constitutum, sed formam tantum iudicii exercendi, hoc in casu singulari esse commutatam. Non immerito igitur Cicero hanc Pompeii legem, tanquam supervacaneam, vituperat, dicens in oratione pro Milone habita: „Hanc vero quaestionem, etsi non est „iniqua, nunquam tamen Senatus constituendam „putavit. Erant enim leges, erant quaestiones „vel de caede, vel de vi, nec tantum moerorem „ac luctum Senatui mors P. Clodii afferebat, ut „nova quaestio constitueretur [1])“.

Idemque Cicero in Philippica II. c. 9. „Quid enim attinebat, ait, nova lege (Pompeii) quaeri de eo, qui hominem occidisset, cum esset legibus quaestio constituta“. Haec de lege Pompeia de vi sufficiant, quippe quae non ipsam rem, sed externam tantum iudicii formam tetigerit.

§. 11.

Venio iam ad rem difficilem, eamque valde litigiosam, quam eo maiori cum verecundia suscipio, quanto maiorum doctiorumque virorum a sententiis discedendum mihi iudicem.

1) Cicero pro Milone c. 6.

Sigonius [1]) etenim, et Bachius [2]) et Ernestius [3]) Caesarem dictatorem, legem de vi ac maiestate tulisse, legum vero Iuliarum de vi publica et privata Augustum Imperatorem habendum esse auctorem, existimant. Quam eandem sententiam nuper defendit Loewius [4]). Ego vero illam Caesaris legem et legem Iuliam de vi publica et privata, cuius in Digestis mentio facta est, unam eandemque esse crediderim. Neque vero Ciceroniana verba, ex oratione prima in Antonium sumpta, quibus nisi doctissimi illi viri singularem de vi ac maiestate a Caesare latam esse legem contendunt, opinioni meae adversantur: immo adiuvare eam videntur, id quod iam demonstrare conabor.

Caesare enim interfecto Antonius rogationem tulit, ut et de vi et de maiestate damnatis ad populum provocare liceret. Quam quidem rogationem Cicero [5]) vehementissime vituperat,

---

1) Sigonius de iudiciis II. 33.

2) Bachii historia iuris Romani II. 2. §. 90.

3) Ernestii index legum Romanarum s. v. Iulia de vi ac maiestate.

4) Loewii commentatio de praeceptis iuris Romani circa crimen vis §. 9. — Qui cum in hac quaestione diiudicanda novi nihil afferat, sed ad Heineccii Sigonii, Bachii et Ernestii auctoritatem provocet, cum illis tantum viris laudatis mihi agendum esse arbitror.

5) Ciceronis oratio Philippica I. c. 9.

quippe qua duae maxime salutares leges quaestionesque tollerentur. Sunt autem duae illae quaestiones, ut ipse ait Cicero [1]), leges Caesaris, quae iubent ei, qui de vi itemque ei, qui maiestatis damnatus sit, aqua et igni interdici. Quibus ex verbis Ciceronianis non solum non sequitur, singularem quandam legem de vi ac maiestate a Caesare esse datam —, (quod si statuimus, mirandum certe est, cur Cicero dixerit:" duae maxime salutares leges, quaestionesque tolluntur"; porro: „his duabus quaestionibus de vi ac de maiestate sublatis: denique" legibus Caesaris, quae iubent ei, qui de vi, itemque ei, qui maiestatis damnatus sit) — sed ea ipsa Ciceronis verba opinioni meae favere videntur. Quam enim legem Caesaris de vi hoc loco Cicero commemorat, eam legem Iuliam de vi publica et privata esse habendam, ex his probari potest:

I. Magni fuisse momenti legem Caesaris de vi latam, quam Cicero laudato illo loco commemorat, vel inde sequitur, quod ipse Ci-

7) Cicero eod. loco. Quid, quod abrogatur legibus Caesaris, quae iubent ei, qui de vi, itemque ei qui maiestatis damnatus sit, aqua et igni interdici? Quibus cum provocatio datur, nonne acta Caesaris rescinduntur?

cero de ea dicat[1]): „Quam autem ad reipublicae pestem furor tribunicius impelli poterit, his duabus quaestionibus de vi et de maiestate sublatis? Quid est aliud igitur, adhortari adolescentes, ut turbulenti, ut seditiosi, ut perniciosi cives velint esse?" Cum vero Antonius rogationem, de Caesaris legibus tollendis non pertulerit, neque credibile sit, legem tam gravem temporis lapsu periisse, legem illam Caesaris intelligendam esse de lege Iulia de vi publica et privata, statuamus, necesse est.

II. Legem Iuliam de vi publica et privata, cuius in Digestis mentio facta est, ab Augusto imperatore non esse datam, pluribus ex causis coniicere licet.

1) Ulpianus libro LXVIII. ad Edictum refert:

Dig. L. 10. §. 2. ad leg. Iul. de vi publica (XLVIII, 6.) Damnato de vi publica, aqua et igni interdicitur.

Cuiacius autem in Observationibus lib. VI. obs. 39. commemorat, Augustum imperatorem constitutione quadam aqua et igni interdictionem sustulisse, et deportationem in

1) Ciceronis oratio Philippica I. c. 9.

eius locum substituisse [1]), unde sequitur, legem Iuliam de vi publica et privata ab Augusto imperatore non esse datam, quippe qui non aqua et igni interdictione, sed deportatione certe vim commissam puniendam sanxisset. Deportatione autem vim publicam plecti postea constitutum esse, patet ex Iustiniani Institutionibus [2]), idemque Paulus [3]), in sententiis receptis tradit. Cum igitur ex ipsa lege Iulia de vi publica damnatis aqua et igni interdictum esse constet [4]), ab Augusto vero deportatio in-

1) Gothofredus in notis ad L. 2. §. 1. D. de poenis (XLVIII, 19.) idem confirmat. Cuius quidem deportationis in locum aqua et igni interdictionis substituendae consilium Liviam Augusto dedisse Dio Cassius L. V. p. 644. edit. Henr. Steph. auctor est. Cf. Scripta minora Conradi Diss. I. cap. II. §. 20. edit. Pernicis. Cf. Schultingii in iurisprud. Anteiustin. adnotationem ad. Cai. I. 6. not. 8. Brissonii Selectarum ex iure civili antiquitatum lib. III. c. 5.

2) Inst. §. 8. de publicis iudiciis (IV, 18.). Sed siquidem armata vis arguatur: deportatio ei, ex lege Iulia de vi publica irrogatur.

3) Pauli sententiae receptae V. 26. Lege de vi publica damnatur, qui ..... cuius rei poena humiliores capitis, honestiores insulae deportatione coerceantur.

4) L. 10. §. 2. D. ad legem Iuliam de vi publica (XLVIII, 6.).

troducta sit, sequitur legem Iuliam de vi publica iam ante Augustum latam esse, id est, a Iulio Caesare dictatore, quem aqua et igni interdictione vim coercuisse, manifestum est, ex Ciceronis Oratione Philippica I. c. 9.

2) Paulus in sententiis receptis (V. 26.) dicit: Lege Iulia de vi publica damnatur, qui aliqua potestate praeditus, civem Romanum, antea ad populum, nunc ad Imperatorem appellantem, necarit, necarive iusserit etc. Quibus ex verbis sequitur eam legem iam eo tempore latam esse, quo adhuc ad populum provocare licuerit, id est eo tempore, quo libera adhuc exstitit Respublica Romana, quam Augustus primus omnino sustulit. Legem igitur Iuliam de vi, iam ante Augustum imperatorem rogatam esse, verisimile est.

3) Ante legem Iuliam de vi publica et privata, crimen vis ita in vim publicam et privatam divisum, nusquam invenimus. Quam quidem distinctionem certe non vanam neque inutilem, Augustus primus si fecisset, Suetonius haud dubie inter ceteras Augusti leges eam retulisset, cum

alias eius leges, certe non maiores, enumeraret [1].

Quibus ex caussis cum lex Iulia de vi publica et privata Augusto non sit tribuenda, eam a Iulio Caesare dictatore latam esse, probabile est. Quam coniecturam etiam alia quaedam res adiuvat. Legem enim Iuliam maiestatis, non ab Augusto imperatore, sed a Iulio Caesare datam esse, recentiore tempore, vir doctissimus Dieckius [2]) comprobavit. Cum igitur Augustus, quem leges Caesaris non sustulisse constat, Caesaris legem maiestatis receperit, eundem etiam legem Caesaris de vi, cuius eodem loco, quo Iuliae legis maiestatis, mentionem Cicero facit [3]), integram servasse, coniicere licet, praesertim cum Augustus eam semper secutus sit agendi rationem, ut, quae antea constituta essent, quantum fieri posset, salva retineret.

---

1) Suetonii vita Augusti c. 34. Leges retractavit, et quasdam ex integro sanxit, ut sumptuariam, de adulteriis, et de pudicitia, de ambitu, de maritandis ordinibus.

2) Dieck l. l. §. 42.

3) Ciceronis oratio Philippica I. c. 9.

§. 12.

Haec de Iulio Caesare, legum Iuliarum de vi publica et privata, auctore. Ciceronem vero in oratione illa Philippica I. c. 9. quo loco has leges Iulias commemorat, eas non leges Iulias de vi publica et de vi privata vocasse, inde explicandum est, quod orator in universum tantum illo loco de Caesaris legibus Iuliis egerit.

Iam vero accuratius paullo leges illas Iulias de vi publica et de vi privata, examinemus, quas non unam, sed duas singulares exstitisse leges, inde manifestum est, quod duobus titulis diversis in Digestorum libris, de iis actum est. Idem inde apparet, quod Macer in L. 1. D. de publicis iudiciis (XLVIII, 1.) commemoret legem Iuliam de vi publica. Proinde Ulpianus quoque in L. 1. §. 2. de vi et vi armata (XLIII, 16.) dicit: Ne quid autem per vim admittatur, etiam Legibus Iuliis prospicitur, publicorum et privatorum. Sic saepius vel lex Iulia de vi privata vel lex Iulia de vi publica ut singulae leges referuntur. Cf. in L. 2. §. 1. D. vi bonor. raptor. (XLVII, 18.); L. 42. §. 4. D. de accusationibus (XVIII, 2.); L. 8. D. de sepulcro violato (XLVII, 12.); L. 4. D. de testibus (XXII, 5.). Sic denique in L. 32. de poenis (XLVIII,

(XLVIII, 19.) dicitur utriusque legis: Iuliae de vi. Quin Theophilus ad Institutionum librum IV. tit. 18. disertis verbis duas fuisse leges Iulias de vi affirmat, tradit enim l. l. Sunt ad haec et duae leges Iuliae, una de vi publica et altera de vi privata: adversus eos, qui vim vel armatam vel sine armis committunt:

Et primo quidem quaerendum est, qui effectum sit, ut singulae leges a Caesare de vi publica et de vi privata latae sint, quale discrimen antea nullam exstitisse constat. Cuius quidem rei caussam in ipsa temporum illorum conditione positam fuisse, existimem. Cum enim Caesar, dictator creatus, rempublicam cepisset, factum est, ut totius populi Romani, atque dictatoris una eademque esse videretur maiestas. De ea igitur ita sancitum est, ut quod contra rempublicam quis molitus esset, idem maiestatem quoque Imperatoris laedere iudicaretur. Sic demum fieri non potuit, quin id, quod antea crimine vis comprehenderetur, ex illo inde tempore, maiestatis crimini annumeraretur, ut, qui antea, seditione dolo malo commota, lege Lutatia de vi teneretur, is iam maiestatis reus haberetur [1]). Qua ratione cum

---

1) *L. 1. D.* ad leg. Iul. maiestatis (XLVIII, 4.). Maiestatis crimine tenetur, cuius dolo malo consi-

lex Iulia de vi iis, quae antea de vi sancita erant, in legem Iuliam maiestatis, receptis, ea tantum praecepta amplecteretur, quae ad ordinem, securitatemque publicam pertinerent, aptum visum est, in iis quoque, quae de securitate publica conservanda, statuta essent, vetus illud discrimen inter vim quotidianam et vim armatam, e Praetoris Edicto sumptum [1]) adhibere, ita ut vis publica vocaretur, quae armis, vis privata, quae sine armis facta esset. Eamque veram fuisse inter vim publicam et privatam distinguendi rationem, ipse Iustinianus pluribus affirmat locis. Dicit enim

> Inst. §. 6. de interdictis (IV, 15.). Qui autem aliquem de possessione per vim deiecit: tenetur lege Iulia de vi privata, aut de vi publica. Sed de vi privata, si sine armis vim fecerit: sin autem cum armis eum de possessione vi expulerit, de vi publica tenetur.

Idemque Inst. §. 8. de publicis iudiciis (IV, 8.). Item lex Iulia de vi publica seu privata, adversus eos exoritur, qui vim vel

---

lium initum erit, quo coetus conventusve fiant, hominesve ad seditionem convocentur.

1) Cf. Dig. tit. de vi et vi armata (XLIII, 16.).

armatam vel sine armis commiserint. Sed si quidem armata vis arguatur, deportatio irrogatur. Si vero sine armis, in tertiam partem bonorum publicatio imponitur.

Eandem sententiam probat vetus Glossarium Graecum, cuius haec verba leguntur apud Brissonium s. v. vis: *Διαφέρει βία δημοσία τῆς ἰδιωτικῆς βίας. Βία μὲν δημοσία ἐστὶν, ὅταν μετὰ ὅπλων ἐπελθών τις ἁρπάσῃ ἀκίνητον . . . ἡ δὲ ἰδιωτικὴ βία ἐστὶν, ὅταν χωρὶς ὅπλων ἀφέληταί τις ἀκίνητον.*

Hanc autem veram fuisse distribuendi inter vim publicam et privatam rationem, ex iis etiam apparet, quae in Digestis de lege Iulia de vi privata exstant: ibi enim de eiusmodi tantum criminibus agitur, quae sine armis sunt commissa: quin etiam adiiciuntur ea verba „sine armis" in L. 5. D. ad leg. Iul. de vi privata, ubi Ulpianus dicit:

> Si quis aliquem deiecit ex agro suo, hominibus congregatis, sine armis, vis privatae postulari possit.

Qui idem cum armis fecerit, eum ex lege Iulia de vi publica accusari posse, manifestum est ex L. 3. §. 6. D. ad leg. Iul. de vi publica. Vim vero armis adhibitis commissam, vim publicam esse nominatam, inde explicandum est,

quod armis uti solius reipublicae esse crederetur. Cf. L. unic. C. ut armorum usus (XI, 46.).

Alii vero aliud inter vim publicam et privatam discrimen intercessisse statuunt. Sic Hefferus, vir doctissimus, in Observationum, quas Caii institutionum Commentario quarto, egregie ab ipso edito adiecit, c. 8. summam legum Iuliarum de vi cum iudiciariis cognationem fuisse, eaque sola divisioni in vim publicam et vim privatam aliquantum lucis affundi, coniecit. Quam quidem coniecturam, licet ingeniosam, eam ob causam minus probabilem crediderim, quia leges Iuliae de vi priores fuisse videntur legibus iudiciariis, quas a D. Augusto latas esse, idem vir doctissimus demonstravit l. l. c. 8. ad §. 30. Praeterea legum illarum, quam auguratur, cognatio, nominis magis quam rerum est similitudo, namque vim vel publicam vel privatam iudiciis publicis esse ascribendam Macer refert in L. 1. D. de iudiciis publicis (XLVIII, 1.) [1]). Contra ea Cuiacius et Bachius vim publicam eam nominatam esse, quae a magistratibus: privatam, quae a privatis commissa sit, arbitrantur.

---

1) L. 1. D. de publicis iudiciis (XLVIII, 1.). Non omnia iudicia in quibus crimen vertitur, publica sunt, sed ea tantum, quae ex legibus publicorum iudiciorum veniunt: ut Iulia maiestatis, Iulia de vi privata, Iulia de vi publica seqq.

Quam sententiam ipse Paulus [1]) in sententiis receptis probasse videtur, quippe qui lege de vi publica eos teneri dicat, qui potestate imperio ve praediti, vim commiserint. At vero eum, verbi causa, qui pubes cum telo in concione fuerit, lege Iulia de vi publica reum fieri constat, etiamsi is magistratus non fuerit. Paulus vero hac in re auctor est non satis probabilis, cum perpauca tantum de iis, quae ad legem Iuliam de vi publica et privata conscripsit, exstent, eaque maxime mutilata, ut sequenti paragrapho comprobabo.

§. 13.

Iam ad ipsas leges Iulias de vi publica et privata latas transeamus perlustrandas, et primo quidem de lege Iulia de vi publica disseramus.

Qua in lege, quae iam ab ipso Iulio Caesare constituta sint, discernere eo est difficilius, quo ea, quae de hac lege Iulia in Digestis nostris invenimus, non ex ipsa illa lege Iulia sint deprompta, sed ex libris, qui de lege Iulia de vi publica et privata a doctissimis serioris demum

---

1) Pauli sententiae receptae V. 26. §. 1. Idemque contendit Isidor libro V. Etymol. c. 26. cf. Brissonium s. v. vis.

aevi iureconsultis sunt conscripti, hausta sint. Ita enim fieri non potuit, quin viri illi docti ea tantum de lege Iulia in commentariolos suos reciperent, quae eo, quo ipsi vixerunt, tempore adhuc valerent. Accedit, ut ne eorum quidem commentarii nobis integri servati sint, sed ea tantum ex libris eorum ad nos pervenerint, quae Triboniano eiusque collegis placerent. Quin ipsae Pauli sententiae receptae, quae priores Romanorum leges perscrutanti haud parvum praebere soleant auxilium: quaerenti de lege Iulia de vi publica et privata plus perturbationis, quam solatii, afferunt. Paulus enim in sententiis receptis V. 26. lege Iulia de vi privata omnia fere ea crimina comprehensa esse tradit, quae in Digestis legi Iuliae de vi publica ascribuntur: id quod ex tabella, quam adiiciam, facile apparebit.

Pauli sentent. rec. V. 26. §. 3.	*Dig. tit. ad leg. Iul. de vi publica.*
Lege Iulia de vi privata tenetur, qui quem armatis hominibus possessione, domo, villa, agrove deiecerit, expu-	*L.* 3. §. 6. Lege (Iulia de vi publica) tenetur, qui hominibus armatis possessorem domo agrove suo aut navi sua deiecerit, expugnaverit —

Pauli sentent. rec. V. 26. §. 3.	*Dig. tit. ad leg. Iul. de vi publica.*
gnaverit, obsederit, cluserit, idve ut fieret homines commodaverit, locaverit, conduxerit.	*L.* 5. *pr.* — quique hominem dolo malo incluserit, obsederit — *L:* 4. *eod.* — utive id staret, homines commodaverit —
Quive coetu, concursu, turba, seditione, incendium fecerit, funerari, sepelirive aliquem prohibuerit, funusve eripuerit, turbaverit, et qui eum cui aqua et igni interdictum est, receperit, celaverit, tenuerit [1]).	*L.* 5. *eod.* — qui coetu, conversu, turba, seditione, incendium fecerit, quive fecerit, quominus sepeliatur, quo magis funus diripiatur, distrahatur —
Quive cum telo in publico fuerit, templum, portas, aliudve quid publicum armatis obsederit, cinxerit, clauserit.	*L.* 3. §. 1. — — qui pubes cum telo in publico fuerit.

1) Haec verba in Digestorum titulum ad leg. Iul. de vi publica non esse recepta, inde explicari potest, quod Tribonianus ea tantum, quae adhuc valitura essent, in Digestis referri voluit: aqua et igni interdictionem vero illo iam tempore in usu esse desiisse, supra iam monuimus.

Quae cum ita sint, vix dubitari posse videtur, quin verba in Pauli sententiis receptis, plane corrupta ac seriori tempore mutilata sint, cum Marcianum et Ulpianum, quorum ex libris loca illa, quae ex Digestorum titulo ad legem Iuliam de vi publica attulimus, sumpta sunt, de vi publica utrumque errasse, Paullum vero unum non errasse, non sit verisimile. Accedit, ut locum quendam quem ex Pauli sententiarum libro V. in Digestorum titulum ad legem Iuliam de vi publica receptum scimus, eumque:

> L. 9. D. ad legem Iul. de vi publica: Hi, qui aedes alienas aut villas expilaverint, effregerint, expugnaverint seqq.

eundem a Paulo ad legem Iuliam de vi privata relatum inveniamus, unde coniicere certe licet, quae Paulus de vi privata scripsisse dicatur, ea de vi publica esse intelligenda: praesertim cum cetera, quae in §. 4. vi privatae annumerat:

> Paul. sent. rec. V. 26. §. 4. Creditor chyrographarius si sine iussu praesidis per vim debitoris sui pignora, cum non habuerit obligata, acceperit, in legem Iuliam de vi privata committit:

plane respondeant iis verbis, quae invenimus in:

> L. 8. D. ad leg. Iul. de vi privata: Si creditor sine auctoritate iudicis, res de-

bitoris occupet, hac lege Iulia de vi privata tenetur.

Ex his apparet in Pauli sententiis receptis V. 26. §. 3. pro „lege Iulia de vi privata tenetur" rectius certe scribendum esse „lege Iulia de vi publica tenetur": quam si statuimus coniecturam esse probabilem, Pauli sententiae cum iis, quae in Digestorum titulo ad legem Iuliam de vi publica, referuntur, egregie congruunt.

Quae cum tanta sit ipsorum fontium ambiguitas, facile apparet, quam difficile sit existimandum leges de vi publica et privata, quales ab ipso Caesare latae sint, restituere, praesertim cum ne ea quidem omnia, quae lege Iulia de vi comprehensa fuisse constat, in titulos Digestorum ad leg. Iuliam de vi publica et privata sint recepta. Sic v. c. Callistratus in libro IV. de cognitionibus refert:

L. 3. §. 5. D. de testibus (XXII, 5.). Lege Iulia de vi cavetur: Ne hac lege in reum testimonium dicere liceret, qui se ab eo parenteve eius liberaverit: quive impuberes erunt: quique iudicio publico damnatus erit: qui eorum in integrum restitutus non est: quive in vinculis custodiave publica erit: quive ad bestias ut depugnaret se locaverit: quaeve palam quaestum faciet, fecerit

tum homines violarent, criminali poena coercebantur. At ne privatorum hominum commodis male hac ratione consuluisse viderentur, quippe cum iudicia criminalia poenam tantum publicam spirarent, Imperatores constituerunt, ut praeter actionem criminalem una etiam civilem cuique instituere liceret. Sic Valens et Gratianus sanxerunt:

> *L. un C.* quando civilis actio (IX, 31.). A plerisque Prudentium generaliter definitum est: *Quoties de re familiari et civilis et criminalis competit actio, utraque licere experiri: sive prius criminalis, sive civilis, actio moveatur: (nec si civiliter fuerit actum, criminalem posse consumi)*: et similiter e contrario. Sic denique et per vim de possessione deiectus, si de ea recuperanda interdicto *Unde vi* fuerit usus, non prohibetur tamen etiam lege Iulia de vi publico iudicio instituere accusationem.

Haec sufficiant de actione civili propter vim instituenda. Iam qualis sub Imperatoribus legi Iuliae de vi publica et privata sors contigerit, videamus.

CAPUT TERTIUM.

Imperatorum de vi publica et privata Constitutiones.

§. 18.

Octavianum Augustum, quem eam omnibus in rebus secutum esse scimus rationem, ut, quantum fieri posset, liberae reipublicae et formas et leges integras servaret, in ipsis legibus Iuliis de vi pauca tantum commutasse, probabile est: praeter quod Livia, ut Dio Cassius refert [1]), hortante, pro aqua et igni interdictionem substitueret in insulam deportationem. Maiore tamen violentia Tiberius, successor eius, regnavit, qui maiestatis crimen ita extendit, ut Suetonius [2]) dicat: *Omne crimen pro capitali receptum, etiam paucorum simpliciumque verborum.* Idemque confirmat Tacitus [3]) qui maiestatis crimen *omnium accusationum complementum* vocat. Sic eum, qui cum telo in publico versaretur, antea quidem legis Iuliae de vi privata, nunc iam maiestatis

---

1) Dio Cassins Lib. 55. c. 20.
2) Suetonii vita Tiberii c. 61.
3) Taciti Annal. III. c. 38.

viderentur. Praeter usum venationis etiam salutis suae causa arma secum gerere concessum fuisse, apparet e. L. 11. §. 2. h. t. Valentinianus demum et Valens Imperatores constituerunt [1]), ne omnino arma portare liceret sine principis permissu. Ceterum de discrimine, quod intercedit inter arma et tela, nec non de utriusque verbi origine, multa disseruit Loewius l. l. §. 17.

L. 3. (Marcian. lib. XIV. Institut.) In eadem causa sunt, qui turbae seditionisve faciendae consilium inierint, servosve aut liberos homines in armis habuerint.

Quin seditiones movere ipsa lege Iulia de vi publica vetitum sit, dubitari non potest, cum lege iam Lutatia de vi de illo crimine sancitum esse, constet. Qui factum autem sit, ut idem seditionis motae crimen etiam ex lege Iulia maiestatis seriore tempore puniretur, supra iam exposui §. 12. Quid sit *turba* quomodo ea a *rixa* distinguenda sit, et quae vocis *turbae* origo sit habenda, fusius idem exposuit Loewius l. l. §. 18.

L. 3. §. 1. Eadem lege tenetur, qui pubes cum telo in publico fuerit.

---

1) L. unica. C. ut armorum usus (XI, 46.).

Iam lex Lutatia armatum in publico versari vetuit, id quod vel inde patet, quod Clodius, quem id fecisse constaret, ea lege reus factus sit. Quibus etiam in publico armatis esse liceat, exponit Loewius l. l. §. 19.

L. 3. §. 2. In eadem causa sunt, qui pessimo exemplo convocata seditione villas expugnaverint, et cum armis et telis bona rapuerint.

Id quoque lege iam Lutatia, proindeque etiam ipsa lege Iulia de vi publica sancitum esse, inde efficitur, quod Cicero dicat [1]), eos, qui aedes suas vastassent, ex Scto lege Lutatia de vi reos esse factos. Cf. supra §. 9. Ceterum Praetor iam Edicto simile quoddam constituerat, et iudicium in eum, qui dolo malo seditione facta alicuius bona rapuisset, se daturum esse promiserat. Dixit enim [2]): SI. CUI. DOLO. MALO. HOMINIBUS. COACTIS. DAMNI QUID. FACTUM. ESSE. DICETUR. SIVE CUIUS. BONA. RAPTA. ESSE. DICENTUR. IN. EUM. QUI. ID. FECISSE. DICETUR. IUDICIUM. DABO. Ulpianus libro LVI. ad Edictum exponit [3]) si quis se vim eiusmodi passum

1) Cicero de haruspicum responsis c. 8.
2) L. 2. D. vi bonorum raptorum (XLVII, 8.).
3) L. 2. §. 1. D. eod.

tum homines violarent, criminali poena coercebantur. At ne privatorum hominum commodis male hac ratione consuluisse viderentur, quippe cum iudicia criminalia poenam tantum publicam spirarent, Imperatores constituerunt, ut praeter actionem criminalem una etiam civilem cuique instituere liceret. Sic Valens et Gratianus sanxerunt:

> *L. un C.* quando civilis actio (IX, 31.). A plerisque Prudentium generaliter definitum est: *Quoties de re familiari et civilis et criminalis competit actio, utraque licere experiri: sive prius criminalis, sive civilis, actio moveatur: (nec si civiliter fuerit actum, criminalem posse consumi)*: et similiter e contrario. Sic denique et per vim de possessione deiectus, si de ea recuperanda interdicto *Unde vi* fuerit usus, non prohibetur tamen etiam lege Iulia de vi publico iudicio instituere accusationem.

Haec sufficiant de actione civili propter vim instituenda. Iam qualis sub Imperatoribus legi Iuliae de vi publica et privata sors contigerit, videamus.

RUINA. QUID. RAPUISSE., RECEPISSE. DOLO. MALO., DAMNIVE. QUID. IN. HIS. REBUS. DEDISSE. DICETUR: IN. QUADRUPLUM. IN. ANNO., QUO. PRIMUM. DE EA. RE. EXPERIUNDI. POTESTAS. FUERIT: POST. ANNUM. IN. SIMPLUM. IUDICIUM. DABO. Ab eodem Ulpiano eodem loco quomodo verba *ex incendio* sint explicanda, docemur. Dicit enim [1]: *Ex incendio* quemadmodum accipimus? utrum ex ipso igne, an vero ex eo loco, ubi incendium fit? et melius sic accipietur, *propter incendium*, hoc est, propter tumultum incendii, vel trepidationem incendii, rapit. Dubitat Loewius l. l. §. 21., quod hic locus noster legi Iuliae de vi publica annumeratus sit, cum nulla armorum mentio fiat. At vero id eam ob causam factum crediderim, quia incendia ac tumultus vix armis adhibitis carere posse creduntur. Quae poena sit constituenda contra eos, qui rapiendi causa incendia fecerint, exposuit Loewius l. l. §. 21.

> *L.* 3. §. 4. Praeterea punitur huius legis poena qui puerum vel foeminam, vel quemquam per vim stupraverit.

Eum, qui per vim stuprum intulit vel mari, vel foeminae publicam vim committere, etiam

---

1) L. 1. §. 2. D. eod.

Ulpianus tradit [1]. Quin haec vero Marciani verba ex ipsa lege Iulia de vi publica descendant, dubitaverim. Verba enim *punitur huius legis poena* significare videntur, non ex ipsa lege Iulia contra eum, qui per vim quemquam, stupraverit, agendum esse, sed seriore demum aetate constitutum esse, ut poena, ex lege Iulia de vi publica constituta, eiusmodi flagitiosis irrogaretur. Inde explicandum est, quod armorum, quae alias in vi publica adhibita requiruntur, hoc loco nulla mentio facta sit. Namque vi privatae eiusmodi scelera annumerare eam ob causam seriores Icti dubitaverunt, quod poena legis Iuliae de vi privata mitior videretur. Loewius l. l. §. 22. multa de lege Scatinia, qua de nefanda libidine sancitum erat, attulit, et, quid sit stuprum, et quando crimen perfectum dicendum sit, latius exposuit.

> *L.* 3. §. 5. Sed et, qui in incendio cum gladio aut telo rapiendi causa fuit, vel prohibendi dominum res suas servare, eadem poena tenetur.

Haec quoque verba, postea demum ab Ictis, qui de lege Iulia de vi privata commentariolos conscripserunt, legi Iuliae ascripta viden-

1) L. 29. §. 9. D. ad leg. Iuliam de adulteriis (XLVIII, 5.).

dentur, id quod vel verba *eadem poena tenetur*, vel discrimina constituta, quae a legibus aliena esse solent, testantur. Quid de incendiis Praetor in Edicto constituerit, supra iam ad L. 3. §. 3. commemoravi.

L. 3. §. 6. Eadem lege tenetur, qui hominibus armatis possessorem domo agrove suo, aut navi sua deiecerit, expugnaverit (concursu).

L. 4. (Ulpian. lib. LIX. ad Edictum) Utive id staret, homines commodaverit.

Id lege Iulia de vi iam constitutum esse, ipse Paulus affirmat [1]). Ceterum hoc ex loco, quale discrimen inter vim publicam et privatam intercesserit, apparet: eum enim, qui vi, sed *sine armis* ex agro suo aliquem deiecerit, lege Iulia de vi privata teneri, Ulpianus auctor est, quippe qui dicat in L. 5. D. ad leg. Iul. de vi privata: *Si quis aliquem deiecit ex agro suo hominibus congregatis sine armis, vis privatae postu-*

1) Pauli sentent. recept. V. 26. §. 3. Is enim etiamsi omnia haec legi Iuliae de vi privata annumerare videatur, supra tamen demonstrare studui, pro „*lege Iulia de vi privata tenetur*" legendum esse illo loco „*lege Iulia de vi publica*; quam lectionem exhibet editio Basiliensis. Cf. Schultingii Iurisprudentia Ante Iustinianea not. 17. ad Pauli sent. rec. V. 26. §. 3. p. 522.

lari possit. Praeterea iam lege Plautia vi aliquem de possessione depellere, vetitum fuisse, supra iam exposui.

L. 5. (Marcianus lib. XIV. Institut.). Qui coetu, conversu, turba, seditione incendium fecerit: quique hominem dolo malo incluserit, obsederit: quive fecerit quominus sepeliatur, quo magis funus diripiatur, distrahatur: quive per vim sibi aliquem obligaverit: nam eam obligationem lex rescindit.

Cum eadem fere verba in Pauli *sententiis* receptis legi Iuliae de vi publica ascripta inveniamus [1]), non est quod dubitemus, quin ea ex ipsa lege Iulia de vi publica descendant. Idemque confirmat Macer, cuius haec exstant verba in L. 8. de sepulcro violato (XLVII, 12.). „Sepulcri violati crimen potest dici ad legem Iuliam de vi publica pertinere, ex illa parte, qua de eo cavetur, *qui fecerit quid, quo minus aliquis funeretur sepeliaturve*: quia et qui sepulcrum violat, facit, quo quis minus sepultus sit". Ceterum de sepulcro violato etiam civiliter agere licuit [2]). Praetor enim in Edicto constituerat: CUIUS. DOLO. MALO. SEPULCRUM. VIOLATUM. ESSE. DICETUR. IN. EUM. IN.

---

1) Pauli sententiae receptae. V. 26. §. 3.

2) Nov. Leonis 96. de sepulcro violato.

FACTUM. IUDICIUM. DABO. UT. EI. AD. QUEM. PERTINEAT., QUANTI. OB. EAM. REM. AEQUUM. VIDEBITUR. CONDEMNETUR.

Extrema quae in lege nostra 5 pr. legantur verba:" quive per vim sibi aliquem obligaverit etc., utrum ab ipsa lege Iulia derivari queant, praedicere non audeo, licet ex verbis: „eam obligationem *lex* rescindit" coniicere possis, ipsam legem Iuliam obligationem vi extortam inanem pronuntiasse.

L. 5. §. 1. Si de vi et possessione, vel dominio quaeratur: ante cognoscendum de vi, quam de proprietate rei, D. Pius *τῷ κοινῷ τῶν Θεσσάλων* id est, Universitati Thessalorum (Graece) rescripsit: sed et decrevit, ut prius de vi quaeratur quam de iure dominii, sive possessionis.

Haec non ipsa lege Iulia de vi, sed seriori demum tempore esse constituta, verba „D. *Pius rescripsit τῷ κοινῷ τῶν Θεσσάλων*" satis testantur. Eandem vero constitutionem Callistratus quoque refert [1]) in lib. V. Cognitionum, qui tamen a D. Hadriano eam datam esse affirmat.

1) L. 37. D. de iudiciis (V, 1.). L. 7. C. ad legem Iul. de vi publica et privata (IX, 12.).

L. 5. §. 2. Qui vacantem mulierem rapuit, vel nuptam: ultimo supplicio punitur, et si pater iniuriam suam precibus exoratus remiserit, tamen extraneus sine quinquennii praescriptione reum postulare poterit: cum raptus crimen legis Iuliae de adulteriis potestatem excedat.

Ipsam legem Iuliam de vi sanxisse aliquid de raptu virginum coniicere licet e L. 3. C. ad leg. Iul. de vi publica [1]), itemque e L. unica C. de raptu virginum [2]). Verisimile enim est raptores virginum, singularibus de raptu virginum legibus nondum latis, vis commissae reos esse habitos. Id tamen constat, supplicium de virginum raptoribus non e lege Iulia esse sumendum, sed ab ipso Iustiano esse sancitum [3]). Quid sit

1) L. 3. C. ad leg. Iul. de vi publ. (IX, 12.). Si confidis sponsam filii raptam esse, vel filium tuum inclusum, instituere solenni more legis Iuliae de vi actionem apud Praesidem provinciae non prohiberis.

2) L. un. C. de raptu virginum (IX, 13.) — omnibus legis Iuliae capitulis, quae de raptu virginum vel viduarum posita sunt, abolitis, sancimus ...

3) Cf. §. 8. I. de publicis iudiciis (IV, 18.) tunc et raptores (virginum), et ii qui opem flagitio dederunt, capite puniuntur, secundum nostrae Constitutionis definitionem. L. un. C. de raptu virginum (IX, 13.) Raptores virginum honestarum, sive iam desponsatae fuerint, sive non ... capitis supplicio plectendos, decernimus.

virginis abductio violenta explicat Loewius l. l. §. 29.

L. 6. (Ulpianus lib. VII. de Officio Proconsulis). Et eum, qui puerum ingenuum rapuit, puniendum D. Pius rescripsit in haec verba: Exemplum libelli dati mihi a Domitio Silvano, nomine Domitii Silvani patrui, subiici iussi, motus querela eius, qua significavit filium suum ingenuum iuvenem admodum raptum, atque conclusum, (mox) verberibus ac tormentis usque ad summum periculum afflictum: Gemine carissime, velim audias eum, et si compereris haec ita admissa, rem severe exequaris.

Haec non verba legis Iuliae esse existimanda, satis manifestum est, cum D. Pium ea rescripsisse, ipse Ulpianus tradat.

L. 7. (Ulpianus lib. VIII. de Officio Proconsulis). Lege Iulia de vi publica tenetur, qui cum imperium potestatemve haberet, civem Romanum adversus provocationem necaverit, verberaverit, iusseritve quid fieri, aut quid in collum iniecerit, ut torqueatur. Item quod ad legatos, oratores, comitesve attinebit, si quis eorum (quem) pulsasse, et sive iniuriam fecisse arguetur.

Quin haec iam ipsa lege Iulia constituta sint, vix dubitari potest. Iisdem enim fere ver-

bis, quibus Ulpianus, Paulus quoque usus est in sententiarum receptarum titulo, qui inscribitur, ad legem Iuliam de vi publica et privata. Namque dicit. §. 3.: *Lege Iulia de vi publica damnatur, qui aliqua potestate praeditus, civem Romanum antea ad populum, nunc ad Imperatorem provocantem, necarit necarive iusserit, torserit, verberaverit, condemnaverit, in publica vincula duci iusserit.* Haec vero Pauli verba legi Iuliae de vi esse ascribenda, maxime apparet ex verbis: *antea ad populum, nunc ad Imperatorem provocantem:* quae, nisi in ipsa lege Iulia ita invenisset conscripta, certe Paulus non adiecisset, cum ex Augusti temporibus non ad populum sed ad Imperatorem provocari soleret [1]). Ceterum iam ante leges Iulias de vi, legibus Valeriis, ter sancitis, nec non lege Porcia et legibus Semproniis constituta erat poena gravior, si quis civem Romanum verberasset, necassetve adversus provocationem [2]). Sic Ciceroni grave crimen a Sallustio obiicitur [3]), quod cives Romanos, Catilinae socios, indicta causa contra legem Porciam ne-

1) Conradi scripta minora Dissert. II. cap. II. §. 205. seqq. edit. Pernicis.

2) Livius X. 9.

3) Sallustii declamatio in Ciceronem.

casset [1]). Etiam eorum, qui legatos violarent, temeritatem ipsam legem Iuliam de vi coercuisse, inde verisimile est, quod legem iam Lutatiam statuisse iniurias legatis illatas tanquam vim publicam esse ulciscendas, supra iam vidimus.

L. 8. (Marcianus lib. V. Publicorum). Lege Iulia de vi publica cavetur, ne quis reum vinciat, impediatve, quo minus Romae intra certum tempus adsit.

Haec utrum ipsa lege Iulia de vi constituta sint, neque certo affirmare, neque negare audeo. Inde vero, quod Marcianus disertis verbis dicat: *lege Iulia de vi publica cavetur,* coniicere fortasse licet, simile quoddam lege Iulia esse sancitum. Ceterum iam ex Edicto adversus eum, qui dolo fecit, quo minus quis in iudicium vocatus sistat, in factum actio competit [2]), quanti actoris interfuit eum sisti.

L. 9. (Paulus lib. VII. ad Edictum). Armatos non utique eos intelligere debemus, qui tela habuerunt: sed etiam quid aliud, quod nocere potest.

Haec verba a Paulo adiecta, neque vero e lege Iulia hausta videntur. Legis etenim non

---

1) Conradi l. l. Dissert. I. cap. II. §. 19.

2) L. 1. et 3. D. de eo, per quem factum erit (II, 10.).

esse solet, eiusmodi definitiones constituere. Sic etiam Ulpianus libro LX. ad Edictum, interdicti de vi et vi armata mentione facta, quid sint arma uberius exposuit [1]). Idemque fecit Cicero in oratione, quam habuit pro Caecina, quem armis deiectum esse demonstrat [2]).

L. 10. (Ulpianus lib. LXVIII. ad Edictum). Qui dolo malo fecerit, quo minus iudicia tuto exerceantur: aut iudices, ut oportet, iudicent: vel is, qui potestatem, imperiumve habebit, quam ei ius erit, decernat, imperet, faciet: qui ludos, pecuniamve ab aliquo invito polliceri publice privatimve per iniuriam exegerit: item qui cum telo dolo malo in concione fuerit, aut ubi iudicium publice exercebitur: exceptus est, qui propter venationem habeat homines, qui cum bestiis pugnent, ministrosque ad ea habere, conceditur.

Prima huius legi verba, quae iudicia iudicemve turbare vetant, ex ipsa lege Iulia de vi publica descendisse, divinare quidem magis

---

1) L. 3. §. 2. D. de vi et armata (XLIII, 16.). Armis deiectum quomodo accipimus? Arma sunt omnia tela, hoc est, et fustes, et lapides, non solum gladii, hastae, frameae i. e. romphaeae.

2) Cicero pro Caecina c. 21.

quam affirmare licet. Verba tamen *quo minus iudicia tuto exerceantur*, liberae adhuc Reipublicae tempora significare videntur. Idem fere dicendum est de iis, quae sequuntur, verbis: *qui ludos ab aliquo publice polliceri per iniuriam exegerit*. Republica etenim eversa, ludos publicos ab Imperatoribus, neque a privatis edi solitos esse, crediderim. De eo, qui cum telo in concione versaretur, supra iam ad L. 3. §. 1. disserui. Verba autem *exceptus est — — conceditur*, ab ipsa lege Iulia aliena esse existimanda, iudicaverim. Eiusmodi enim exceptiones seriore demum tempore legibus adiici solent, ubi quatenus lex sit adhibenda quaeritur.

> *L.* 10. §. 1. Hac lege tenetur, et qui convocatis hominibus vim fecerit, quo quis verberetur et pulsetur, neque homo occisus sit.

Eadem haec verba leguntur in L. 2. D. ad legem Iuliam de vi privata. Cum vero unum idemque crimen et vi publicae et vi privatae annumeratum esse, vix credendum sit, statuamus necesse est aut errore quodam hunc locum a Triboniano huc esse translatum, aut verba *cum armis* esse omissa, ut, prout arma vel adhibita sint, vel non adhibita, idem crimen vis publica vel privata nominata fuerit. Proinde fortassis pro *convocatis* legendum est *armatis hominibus*.

§. 15.

Digestorum titulus ad legem Iuliam de vi privata (XLVIII, 7.)

L. 1. (Marcian. lib. XIV. Institut.). De vi privata damnati pars tertia bonorum ex lege Iulia publicatur: et cautum est, ne Senator sit, ne Decurio, aut ullum honorem capiat, ne in eum ordinem sedeat, neve iudex sit: et videlicet omni honore, quasi infamis, ex Scto carebit.

Legis Iuliae de vi privata reum publicatione tertiae bonorum partes mulctari, ab omnibus peraeque Romanorum Ictis traditur. Paulus in sentent. rec. V. 26. §. 3. honestiores in insulam praeterea relegari, humiliores in metallum damnari solitos esse, commemorat. Quae cum poena severior seriore tempore cessaret, infamia tamen lege Iulia de vi privata damnatis irrogabatur cf. L. 8. h. t. L. 7. D. de publicis iudiciis (XLVIII, 1.). Verba *ex Senatus consulto carebit* priora tempora, quibus honestiores propter vim privatam damnati relegari solebant, significare videntur. *Relegatos* enim Aelius Gallus apud Festum [1]) definit: *quibus ignominiae aut poenae*

1) Festus s. v. relegati.

causa necesse est ab urbe Roma aliove quo loco abesse, lege, Senatusquesonsulto, aut edicto magistratuum.

L. 1. §. 1. Eadem poena afficiuntur, qui ad poenam legis Iuliae de vi privata rediguntur: et si quis ex naufragio dolo malo quid rapuerit.

Haec Marciani verba legi Iuliae non esse tribuenda iudicaverim. Et priora quidem „*eadem poena afficiuntur — rediguntur*", significant genuinam legis Iuliae de vi privata poenam, quae, Paulo teste [1]), praeter bonorum tertiam partem publicatam vel relegationem vel in metalla damnationem requirebat, Marciani tempore mitigatam esse, ita ut relegatio vel in metallum damnatio cessaret, bonorum tertiae partis publicatio et infamia maneret. Utrum de iis, qui ex naufragio quid rapuissent, in ipsa lege Iulia sancitum sit, dubito. Praetor iam in Edicto contra eiusmodi raptores constituerat actionem [2]). Divus Antoninus eos, qui diripuisse aliquid ex naufragio probarentur, liberos quidem, si praeda atque vis adhibita maior esset, fustibus caesos in triennium relegandos, sordidiores in-

---

1) Pauli sent. rec. V. 26. §. 3. Cf. quae dixi ad L. 1. h. t.

2) L. 1. pr. D. de incendio, ruina, naufragio (XLVII, 9.).

opus publicum eiusdem temporis damnandos esse, constituit [1]): unde coniicere licet lege Iulia de vi publica nihil ea de re cautum fuisse. Quod seriores vero Icti eum, qui ex naufragio quid rapuisset, etiam lege Iulia de vi conveniri posse, crediderint, non mirandum est, cum cuiuscunque generis rapinam, vim etiam continere existimarent. Proinde Ulpianus dicit [2]) lib. LVI. ad Edictum: *rapi autem sine vi non potest.* Cur vero rapina ex incendio vis publica, rapina ex naufragio facta, vis privata habita sit, nescio, nisi si dixeris ex incendio seditiones Reipublicae periculosas magis metuendas esse, quam ex naufragio.

L. 1. §. 2. Sed et ex Constitutionibus Principum extra ordinem qui de naufragiis aliquid diripuerint, puniuntur: nam et Divus Pius rescripsit, nullam vim nautis fieri debere: et si quis fecerit, ut severissime puniatur.

Haec legi Iuliae non posse ascribi, nemo est, quin videat. De Principum, quas Marcianus hoc loco commemorat, Constitutionibus, iam exposui ad L. 1. §. 1.

---

1) L. 4. D. eod. cf. L. 3. §. 8. eod. ubi Scta Claudianis temporibus facta, eaque similis argumenti, commemorantur.

2) L. 3. §. 5. D. de incendio (XLVII, 9.)

CAPUT TERTIUM.

Imperatorum de vi publica et privata Constitutiones.

§. 18.

Octavianum Augustum, quem eam omnibus in rebus secutum esse scimus rationem, ut, quantum fieri posset, liberae reipublicae et formas et leges integras servaret, in ipsis legibus Iuliis de vi pauca tantum commutasse, probabile est: praeter quod Livia, ut Dio Cassius refert [1]), hortante, pro aqua et igni interdictionem substitueret in insulam deportationem. Maiore tamen violentia Tiberius, successor eius, regnavit, qui maiestatis crimen ita extendit, ut Suetonius [2]) dicat: *Omne crimen pro capitali receptum, etiam paucorum simpliciumque verborum.* Idemque confirmat Tacitus [3]) qui maiestatis crimen *omnium accusationum complementum* vocat. Sic eum, qui cum telo in publico versaretur, antea quidem legis Iuliae de vi privata, nunc iam maiestatis

---

1) Dio Cassins Lib. 55. c. 20.
2) Suetonii vita Tiberii c. 61.
3) Taciti Annal. III. c. 38.

quae hoc loco refert Macer, ea Ictorum magis leges Iulias interpretantium, quam ipsius legis verba esse crediderim: praeter quod ipsa fortasse lege Iulia constitutum sit, etiam eos, qui convocati sint vim privatam commisisse dicendos esse, cum persaepe seditionum auctores detegi nequeant.

L. 4. (Paulus lib. LV. ad Edictum). Legis Iuliae de vi privata crimen committitur, cum coetum aliquis et concursum fecisse dicitur, quo minus quis in ius produceretur §. 1. Et si quis quaestionem de alterius servo habuisset, et ideo moderatius Edicto Praetoris de iniuriis utendum esse, Labeo ait.

Cum ipse Paulus eum, qui concursum fecerit, quo minus quis in ius produceretur, contra legem Iuliam de vi privata peccare, disertis verbis dicat, non est, quod nos ea de re dubitemus. Magis certe ambigendum est, utrum extrema Pauli verba, quae in paragrapho prima leguntur, ipsi legi Iuliae tribui queant. Et ego quidem seriore demum tempore praevaluisse existimaverim sententiam humaniorem, ut etiam is, qui de servo quaestionem habuisset, vis privatae reus deferri posset. Antea, qui eiusmodi quid fecerant, vel ex Edicto Praetoris

ris [1]), vel actione legis Aquiliae [2]) *tenebantur*. Quae a Labeone commemorantur Edicti verba, leguntur in L. 15. §. 34. D. de iniuriis (XLVII, 10.).

L. 5. (Ulpinnus lib. XLIX. ad Edictum). Si quis aliquem deiecit ex agro suo hominibus congregatis sine armis, vis privatae postulari possit.

Id iam ex lege Iulia de vi privata vetitum fuisse, etiam Paulus [3]) affirmat. Idemque sequitur ex his Ulpiani verbis [4]): *ne quid autem per vim admittatur, etiam legibus Iuliis prospicitur publicorum et privatorum.* Prout igitur arma vel adhibita vel non adhibita sunt, ex agro deiectus ex lege Iulia de vi vel publica vel privata agere poterit. Quid denique lex Plautia et lex Lutatia ea de re constituerint, supra iam commemoravimus [5]),

L. 6. (Modestinus lib. VIII. Regularum). Ex Scto Volusiano, qui improbe coeunt in alienam litem, ut, quidquid ex condemna-

1) L. 15. §. 34. D. de iniuriis (XLVII, 10.). L. 8. C. de iniuriis (IX, 35.).

2) L. 15. §. 46. D. de iniuriis (XLVII, 10.).

3) Pauli sentent. rec. V. 26. §. 3.

4) L. 1. §. 1. D. de vi et vi armata (XLIII, 16.).

5) Cf. supra §. 8. et §. 9.

tione in rem ipsius redactum fuerit, inter eos communicaretur: lege Iulia de vi privata tenentur.

Ex ipsis Modestini verbis sequitur Scto Volusiano constitutum esse, ut qui improbe coirent in alienam litem, lege Iulia de vi privata rei haberentur, unde patet, ipsam legem Iuliam nihil ea de re statuisse. De Scti Volusiani auctore cf. Heineccii iurisprudentiam Romanam et Atticam. Tom. II. p. 1242.

L. 7. (Callistratus lib. V. de Cognitionibus). Creditores, si adversus suos debitores agant, per iudicem id quod deberi sibi putant, reposcere debent. Alioquin si in rem debitores sui intraverint, id nullo concedente: Divus Marcus decrevit, ius crediti eos non habere. Verba decreti haec sunt: *Optimum est, ut si quas putas te habere petitiones, actionibus experiaris: interim ille in possessione debet morari: tu petitor es:* et cum Marcianus diceret, *vim nullam feci:* Caesar dixit, *Tu vim putas esse solum, si homines vulnerentur? vis est et tunc, quoties quis id, quod deberi sibi putat, non per iudicem reposcit: non puto autem nec verecundiae, nec dignitati tuae convenire, quidquam non iure facere. Quisquis igitur probatus mihi fuerit rem ullam debitoris non ab ipso sibi*

traditam sine ullo iudicio temere possidere, eumque sibi ius in eam rem dixisse, ius crediti non habebit.

Haec a Divo Marco esse rescripta ipse Callistratus fatetur, cuius eadem verba praeterea leguntur in L. 13. D. quod metus causa (IV, 2.). Tribonianus vero hoc Decretum titulo Digestorum ad legem Iuliam de vi privata inserendum censuit, quia simile quoddam ipsa lex Iulia constituit, id quod apparet ex.

L. 8. (Modestinus lib. II. de Poenis). Si creditor sine auctoritate iudicis res debitoris occupet, hac lege tenetur, et tertia parte bonorum multatur, et infamis fit.

Paulus in sententiis receptis V. 26. §. 4. ita scripsit: „Creditor chirographarius si sine iussu Praesidis per vim debitoris sui pignora, cum non habuerit obligata, acceperit, in legem Iuliam de vi privata committit." Idemque alio loco [1]) dixit: „Si quis pignora creditoris citra auctoritatem iudicantis abduxerit, violentiae crimen admittit." Hoc de creditore chirographario esse intelligendum, nemo non videt, nam credi-

1) Pauli sentent. rec. II, 14. §. 5. quem locum esse erraneum docet Schultingius in Iurisprudentia Ante-Iustinianea, nota 16 ad Pauli sent. rec. II, 14. §. 5.

tor pigneratitius, quippe qui pignus teneat, id abducere nequit. Ex omnibus his credibile est legem Iuliam statuisse eum, qui creditor chirographarius rem sibi obligatam vi abduceret, vis privatae teneri. Quae Modestino in lege nostra 8. h. t. ascribuntur verba, a Triboniano mutilata videntur, cum verbum *vi* omissum sit, id quod inde factum esse crediderim, quod Divus Marcus constituerit unumquemque creditorem, qui licet non vi, sed sine iudicis auctoritate rem debitoris occuparet, vim commisisse. De vulgari legis Iuliae de vi privata poena, supra iam exposui ad L. 1. h. t. de qua cf. praeterea Loewium l. l. 56. et 57.

§. 16.

Ex omnibus his quaestionibus satis apparet, non ea omnia quae in Digestorum titulis ad leges Iulias de vi publica et de vi privata referantur, ipsis illis legibus ascribenda esse. Haec fere sunt, quae sola legibus Iuliis constituta esse videantur.

I. Lege Iulia de vi publica tenetur: qui arma in domo sua coegerit: item qui turbae, seditionisve consilium inierit, servosve aut liberos homines in armis habuerit: item qui pubes cum telo in publico fuerit: item qui seditione villas expugnaverit, et cum telis

et armis rapuerit: item qui ex incendio rapuerit: item qui puerum vel foeminam per vim stupraverit: item qui hominibus armatis possessorem domo agrove suo deiecerit, expugnaverit, utive id staret, homines commodaverit: item qui coetu, conversu turba seditione incendium fecerit, hominem dolo malo incluserit, obsederit: quive fecerit, quo minus quis sepeliatur, quo magis funus diripiatur: (item qui per vim sibi aliquem obligaverit:) item qui aliqua potestate praeditus civem Romanum, ad populum provocantem, necaverit, necarive iusserit, torserit, verberaverit, condemnaverit, in publica vincula duci iusserit: item qui legatos pulsaverit, iniuriave affecerit: item qui reum vinxerit, quo minus Romae certo die adsit: item qui dolo malo fecerit, quo minus iudicia tuto exerceantur, aut iudices, ut oportet, iudicent, vel is qui potestatem imperiumve habet, aliter atque ei ius est, decernat, imperet, faciat: item qui ludos pecuniamve ab aliquo invito polliceri, publice privatimve per iniuriam exegerit: item qui armatis hominibus vim fecerit, quo quis verberetur, et pulsetur, neque homo occisus sit.

Damnato de vi publica, aqua et igni interdicitur.

II. Lege Iulia de vi privata tenetur: qui convocatis hominibus vim fecerit, quo quis verberetur, pulsetur, neque homo occisus erit: item qui convocati sunt: item qui concursum fecisse dicitur, quo minus quis in iudicium produceretur: item si quis aliquem deiecit agro suo, convocatis hominibus, sed sine armis: item qui creditor (chirographarius) sine auctoritate iudicis, res debitoris per vim acceperit.

De vi privata damnatis, si honestiores sint, tertia pars bonorum eripitur, et in insulam relegantur: humiliores in metallum damnantur.

Neque vero hoc argumentum legum Iuliarum de vi publica et de vi privata ab omni parte integrum habendum est. Multa enim quae Icti aliis locis legibus Iuliis tribuunt, a Triboniano in Digestorum titulos ad legem Iuliam de vi publica et de vi privata non recepta sunt. Sic quae Paulus in sententiis receptis [1]) refert, eum qui hominem, cui aqua et igni interdictum esset, receperit, celaverit, tenuerit, lege Iulia de vi

1) Cf. v. c. L. 42. §. 4. D. de accusationibus (XLVIII, 2.).

privata teneri: in Digestorum titulis illuc pertinentibus, non commemorantur: quamvis ipsam legem Iuliam id sanxisse verisimile sit. Praeter alios vero, quos enumerare possem locos, unum afferre liceat, quem prae ceteris alicuius momenti crediderim, eumque ex Collatione legum Romanarum et Mosaicarum haustum:

Collatio legum Romanarum et Mosaicarum tit. IX. (Ulp. lib. IX. de officio Proconsulis ad leg. Iul. de vi publica et privata). Eadem lege quibusdam testimonium omnino, quibusdam interdicitur invitis, capite octogesimo septimo et capite octogesimo octavo in haec verba, his verbis: Hominibus hac lege in reum testimonium dicere ne liceto, qui se ab eo parenteve eius, libertove cuius eorum libertus libertaverit, quive impubes erit, quive eorum in integrum restitutus non est, quive in vinculis custodiaque publica erit, quive depugnandi causa auctoratus erit, quive bestias depugnare locavit, locaverit, praeterquam qui iaculandi causa ad Urbem missus est, erit, palamve corpore quaestum faciet, fecerit: quive ob testimonium dicendum pecuniam accepisse iudicatus erit: neve quis eorum hac lege in reum testimonium dicat. Capite octogesimo

septimo his: Homines inviti in reum testimonium ne dicant, qui sobrinus est ei reo, proprioreve cognatione coniunctus, quive socer, gener, vitricus, privignusque eius erit. Et reliqua.

Hic unus, quantum scio, exstat locus, quo leges Iulias de vi publica et privata in singula capita divisa fuisse, docemur. Verba enim Ulpiani „*eadem lege*“ legem Iuliam de vi significare, apparet e L. 3. D. de testibus (XXII, 5.) ubi Callistratus eadem haec verba legi Iuliae de vi ascribit. Quot autem fuerint capita, certo affirmari nequit: neque id utrum capita illa ab Ulpiano memorata legi Iuliae de vi publica an de vi privata tribuenda sint, probari posse videtur. Praeterea in his Ulpiani verbis manifestum est leges Iulias de vi publica et privata a veteribus Ictis saepius vocatas esse leges Iulias iudiciorum publicorum et privatorum. Nam quod Ulpianus h. l. capite octogesimo septimo legis Iuliae de vi sancitum esse dicit, id Paulus [1]) lege Iulia iudiciorum publicorum cautum esse tradit. Neque tamen mirandum est tam rara, tamque ambigua in Digestis inveniri legis Iuliae de vi publica et de vi privata fragmenta.

---

1) L. 4. D. de testibus (XXII, 5.). L. 32. D. de poenis (XLVIII, 19.).

Cum enim Republica eversa unus ei praeesset Imperator, et insidiae, quas reipublicae quis struxerat, ipsum etiam Imperatorem petere crederentur, fieri non potuit, quin, quod antea vis tantum haberetur, ex illo tempore tanquam crimen maiestatis puniretur, ita, ut unum maiestatis crimen reliqua fere omnia in se reciperet. Merito igitur maiestatis crimen Tacitus [1]) *omnium accusationum complementum* vocat. Sic magis magisque leges Iuliae de vi publica et de vi privata obsoleverunt, quarum ea tantum capita seriores Icti nobis tradiderunt, quae non ad crimen maiestatis, sed ad ordinem securitatemque publicam laesam pertinerent. Eiusmodi enim omnia fere ea sunt habenda scelera, quae ex legibus Iuliis de vi, quales in Digestis inveniantur, coercenda sunt.

Quae cum tanta sit in ipsis nostris fontibus confusio ac fides dubia, sperare posse mihi videor, benigniores mihi non defore iudices, qui, quae de ipsis legibus Iuliis disserere conatus sum, maiori indulgentia accipiant.

§. 17.

Priusquam vero ad ea, quae, cum Imperatores orbem Romanum tenerent, de vi publica

1) Taciti Annales III, 38.

et privata constituta sint, me converto, perpauca de iis, quae Praetor de vi interdixerat, admonere liceat.

Civiles enim leges, quippe quae forensem quotidianamque hominum vitam ad certas quasdam regulas revocent, praecurrere leges criminales, supra iam exposui. Sic factum est, ut Romae quoque de vi Praetor prius interdiceret, quam leges de vi criminales latae sunt. Duo autem Praetoris exstant Interdicta de vi, eaque Interdictum de vi quotidiana et armata (Dig. XLIII, 16.) et Interdictum de vi bonorum raptorum [1]) (Dig. XLVII, 8.): quorum altero is petebatur, qui vi aliquem vel armata vel non armata de possessione deiecisset: alterum in eos constitutum erat, qui dolo malo hominibus coactis damni quid fecisse, vel bona alicuius diripuisse dicerentur. Legibus vero Iuliis de vi publica et privata latis, unicuique vim perpesso, vel civiliter Interdicto Praetoris, vel criminaliter ex legibus Iuliis agere licuit. Id

---

1) De Interdicto vi bonorum raptorum cf. Crameri adnotationem ad Ciceronis Orationem pro Tullio, edit. Heinrichii et Crameri pag. 66. seqq. Savignii Commentationem in: Zeitschrift f. gesch. Rechtsw. Tom. V, p. 128 — 130. Huschkii Analecta Litteraria. Excurs. I. ad M. Tullii Ciceronis Orationem pro Tullio p. 183 — 208.

enim significant verba Ulpiani, lib. IV. ad Edictum dicentis:

L. 15. D. de accusationibus (XLVIII, 2.), In eum, cuius dolo malo hominibus coactis damni quid datum esse dicatur, non debet cogi actor, omissa actione civili, crimen intendere.

Namque verba „*omissa actione civili*" de Interdicto vi bonorum raptorum esse intelligenda, ipsa Interdicti verba testantur, quae ita fuisse conscripta: SI. CUI DOLO. MALO. HOMINIBUS. COACTIS. DAMNI. QUID. DATUM. ESSE. DICETUR. etc., idem Ulpianus alio loco refert [1]). Ceterum etiam sub Imperatoribus duplicem, vel civilem vel criminalem actionem de vi datam esse, apparet ex.

L. 4. C. unde vi (VIII, 4.). Si de possessione vi deiectus es, eum et lege Iulia vis privatae reum postulare, et ad instar interdicti *Unde vi* convenire potes ....

Seriore autem tempore, Imperatoribus maxime tyrannicis, qui vel levissima peccata tanquam scelera gravissima, contra ipsam imperatoriam maiestatem commissa, ulcisci consueverunt, omnia crimina, vel ea, quae privatos tan-

---

1) L. 2. D. vi bonorum raptorum (XLVII, 8.).

tum homines violarent, criminali poena coercebantur. At ne privatorum hominum commodis male hac ratione consuluisse viderentur, quippe cum iudicia criminalia poenam tantum publicam spirarent, Imperatores constituerunt, ut praeter actionem criminalem una etiam civilem cuique instituere liceret. Sic Valens et Gratianus sanxerunt:

> *L. un C.* quando civilis actio (IX, 31.). A plerisque Prudentium generaliter definitum est: *Quoties de re familiari et civilis et criminalis competit actio, utraque licere experiri: sive prius criminalis, sive civilis, actio moveatur: (nec si civiliter fuerit actum, criminalem posse consumi)*: et similiter e contrario. Sic denique et per vim de possessione deiectus, si de ea recuperanda interdicto *Unde vi* fuerit usus, non prohibetur tamen etiam lege Iulia de vi publico iudicio instituere accusationem.

Haec sufficiant de actione civili propter vim instituenda. Iam qualis sub Imperatoribus legi Iuliae de vi publica et privata sors contigerit, videamus.

CAPUT TERTIUM.

Imperatorum de vi publica et privata Constitutiones.

§. 18.

Octavianum Augustum, quem eam omnibus in rebus secutum esse scimus rationem, ut, quantum fieri posset, liberae reipublicae et formas et leges integras servaret, in ipsis legibus Iuliis de vi pauca tantum commutasse, probabile est: praeter quod Livia, ut Dio Cassius refert [1]), hortante, pro aqua et igni interdictionem substitueret in insulam deportationem. Maiore tamen violentia Tiberius, successor eius, regnavit, qui maiestatis crimen ita extendit, ut Suetonius [2]) dicat: *Omne crimen pro capitali receptum, etiam paucorum simpliciumque verborum.* Idemque confirmat Tacitus [3]) qui maiestatis crimen *omnium accusationum complementum* vocat. Sic eum, qui cum telo in publico versaretur, antea quidem legis Iuliae de vi privata, nunc iam maiestatis

---

1) Dio Cassius Lib. 55. c. 20.
2) Suetonii vita Tiberii c. 61.
3) Taciti Annal. III. c. 38.

de vi constituisse Marcianus libro XIV. Institutionum commemorat:

L. 5. D. ad legem Iuliam de vi publica (XLVIII, 7.). Si de vi et possessione, vel de dominio quaeratur: ante cognoscendum de vi quam de proprietate rei, Divus Pius *τῷ κοινῷ τῶν Θεσσάλων*, id est, Universitati Thessalorum, (Graece) rescripsit.

Quam eandem Constitutionem Callistratus libro V. Cognitionem Divo Hadriano tribuit [1]). Eundem praeterea Divum Pium, eum, qui puerum ingenuum rapuisset, lege Iulia de vi publica puniendum esse, statuisse, Ulpianus libro VII. de officio Proconsulis, auctor est [2]).

Neque vero vis privatae seriore tempore nullam factam esse mentionem, dici potest. Nam Diocletianus et Maximinianus, quos intra annos CCLXXXVI. et CCCIV. p. Chr. una regnasse scimus, constituerunt:

L. 5. C. ad legem Iuliam de vi publica et privata (IX, 12.). Qui licet creditor, per vim fundum debitoris ingressus est: *lege Iulia de vi privata* teneri potest.

§. 20.

---

1) L. 37. D. de iudiciis (V, 1.).

2) L. 6. D. ad legem Iuliam de vi publica (XLVIII, 7.). Cf. quae dixi supra p. 67.

§. 20.

Qui benigniores hosce exceperunt Imperatores, a Commodo usque ad Alexandrum Severum, omnes, praeter unum Pertinacem, saevitia, libidine petulantiaque reliquos, qui antea regnarunt, superasse, universi eiusdem temporis scriptores [1]) referunt. Iidem maiestatis crimen ab illis Imperatoribus immensum iterum in modum amplificatum esse tradunt, ita ut innumerabiles viri nobilesque mulieres, quibus leve quiddam, et quod contemni a mitiore principe potuisset, obiiceretur, ad extremum usque supplicium verberarentur ac vexarentur. Ab eiusmodi Imperatoribus de vi nihil esse constitutum, non mirandum est: namque tyrannus, nullos criminum gradus statuens, eadem immanitate ac ferocitate contra summum, vel minimum peccatum saevit. Perpauca igitur sunt, quae illo tempore de vi publica et privata sancita inveniamus. Id tantum scimus, a Severo et Antonino rescriptum esse:

L. 1. C. ad leg. Iul. de vi publica et privata (IX, 12.). Ob debitum viri, vel civile

1) Lampridii vita Commodi c. 3. Spartiani, vita Severi c. 11 — 14., vita Caracallae c. 4. Capitolini vita Opilii Macrini c. 11 — 12. Lampridii vita Eliogabali c. 18.

munus res uxoris qui pignori capiunt, vim contrahere videntur:

Praeterea Antonius edixit, ut, si tutoris lege Iulia de privata damnati, tertia pars bonorum a fisco vindicaretur, pupillo tutelae actionem contra fiscum instituere liceret [1]).

Alexandrum quidem Severum crimina maiestatis iterum ad arctiores fines revocasse, patet e L. 2. C. de rebus creditis (IV, 1.): sed de vi idem aut pauca modo sanxit, aut, quae sanxit, ad nos non pervenerunt. Namque una tantum eius exstat constitutio, in qua, Paulo referente [2]), appellantibus vel appellationis causa Romam proficiscentibus vim fieri vetat. Id tamen lege iam Iulia de vi publica statutum esse, supra memoravimus.

Post Alexandrum Severum, cum tam celeriter alius alium exciperet Imperatorem, ut vix biennium unus ex illis regnaret: maiestatis crimen ultra priores fines iterum adauctum esse [3]),

---

1) L. 2. C. ad legem Iuliam de vi publica et privata (IX, 12.).

2) L. 25. D. de appellationibus (XLIX, 1.). — Imperator Alexander communi eorum, qui in Bithynia sunt, Graecorum . . . iniuria et vi uti adversus eos, qui appellant, et (ut simpliciter dicam) obstruere illis eam ad nos viam, interdicimus.

3) Capitolini vita Maximinii c. 8., vita Gordianorum c. 29 — 31.

non est, quod miremur. Nam cum vi sola, neque ex populi voluntate ac consensu illius temporis Caesares imperium tenerent, summa quisque saevitia et atrocitate regnum incertum atque dubium munire et defendere studebat.

Diocletianus, qui primus tum per unum et viginti annos regnavit, legibus imperium firmare voluisse videtur. Permultas enim edidit constitutiones, quarum tres de vi conscriptae ad hanc aetatem nostram pervenere. Et prima [1]) quidem de sponsa filii rapta itemque filio incluso, ex lege Iulia de vi agi posse, sanxit: altera [2]) etiam servos, quos antea legis Iuliae de vi privata reos non fuisse constat [3]), hac lege teneri iubet: tertia [4]) denique eos, qui quamvis creditores, per vim debitoris fundum ingressi essent, contra legem Iuliam de vi privata peccasse, edixit.

§. 21.

Ad haec igitur usque tempora de vi vel publica vel privata perpauca admodum commu-

1) L. 3. C. ad legem Iuliam de vi publica et privata (IX, 12.).

2) L. 4. C. eod.

3) L. 12. §. 4. D. de accusationibus (XLVIII, 2.).

4) L. 5. C. ad legem Iuliam de vi publica et privata (IX, 12.).

tata esse cognovimus. Crudeliores etenim Imperatores omnia fere crimina ex legibus maiestatis, quippe quae ceteris legibus severiores essent, diiudicanda atque punienda existimabant: mitiores vero benigrioresque Caesares priorem tantum rerum atque legum ordinem restituere studebant. Cum legibus enim veteribus una revocari posse credebantur ipsa tempora praeterita, quae omne mortalium genus piis plerumque votis redire iubet. Poenas iam legibus Iuliis de vi publica et privata constitutas, easdem fere adhuc integras invenimus, praeter quod in aqua et igni interdictionis locum, successerit deportatio, ac praeterea constitutum sit, ut etiam servos lege Iulia de vi privata reos facere liceret. Quod cur factum sit, facile apparet. Nam cum eius, qui lege Iulia de vi privata damnatus esset, tertia pars bonorum publicaretur, id est, fisco vindicaretur, Imperatoribus etiam mitioribus, aerarium, Imperatorum luxuria exhaustum plerumque ac siccatum, hac ratione reficiendi occasio peropportuna data esse videbatur. Cum igitur seriore tempore, quo domini a vilissimis quibusque servis, quippe qui obedientes essent libidinum ministri, regi solerent, ipsi etiam servi divitiis nonnunquam essent ornati, iam hi quoque legi Iuliae de vi privata satisfacere posse existimabantur, ideoque con-

stitutum est, ut ipsi lege Iulia de vi privata tenerentur.

Constantinus autem primus de eo, qui vim commisisset, supplicium sumendum esse, statuit [1]). Cuius quidem rei duas praecipue afferri posse causas crediderim. Constantinus enim primus Imperator Christianam confessus est religionem, quo factum est, ut alii iam, quam priore tempore, mores valerent, et quod antea minus scelestum videretur, id iam maxime nefarium haberetur. Sic antea leges tantum vim fieri vetuerant, quam cum Christiana etiam religio, quae ne vim quidem vi repellere permitteret, maxime improbaret, fieri non potuit, quin severior iam vis commissae poena constitueretur, cum qui Christianus vim faceret, non solum contra leges, verum etiam contra religionem peccasse videretur.

Altera vero atrocioris poenae constituendae causa, sedes regia erat Roma Constantinopolin translata: nam ea quoque re factum est, ut alii iam, quam qui antea viguerant, mores existerent. Roma relicta, vel extrema prioris Romanae libertatis, quam ipsa urbs in hominum mentes revocare credebatur, vestigia deleta sunt,

---

1) L. 1. C. Theod. ad legem Iuliam de vi publica et privata (IX, 10.).

Roma simulque Romanorum historia desiit, et novum quasi regnum exortum est. Romana Respublica ab hominum recordatione iam aeque erat aliena, ac laudata illa Atheniensium libertas: et Romanus, Roma relicta, sui ipsius nominis fere iam immemor videbatur. Orientalium, quos a primis inde temporibus ad tyrannidem pronos cognovimus, mores magis magisque invaluerunt, et Tiberii, Claudii, Nerones, qui Romae crudelissimi tyranni: Constantinopoli *legitimi* domini existimabantur. Quo magis autem hominum animi serviles, eo atrociores poenae esse solent: durius etenim in servos, quam in liberos animadvertitur, quia cum servitute perfidia et ingenium ad omne scelus pronum, hominum animos occupat. Proinde non mirandum est, atrociorem poenam vis commissae Constantinum magnum constituisse. Is enim rescripsit anno p. Chr. CCCXVII:

L. 1. *C.* Theod. ad legem Iuliam de vi publica et privata (IX, 10.). Qui in iudicio manifestam detegitur commisisse violentiam, non iam relegatione aut deportatione insulae plectatur, sed supplicium capitale suscipiat: nec interposita provocatione sententiam, quae in eum fuerit dicta, suspendat: quoniam multa facinora sub uno violentiae nomine continentur, cum aliis vim inferre ten-

tantibus, aliis cum indignatione repugnantibus, verbera caedesque crebro deteguntur admissae. Unde placuit, ut si forte quis vel ex possidentis parte, vel ex eius, qui possessionem temerare tentaverit, interemptus sit, in eum supplicium exeri [1]), qui vim facere tentaverit, et alterutri parti causam malorum praebuit.

Eandem constitutionem iisdem quidem verbis, sed verborum ordine paullum mutato, ab Iustiniano in Codicem receptam invenimus [2]). Constantinus enim in exordio lègis generalem quandam proponit regulam, quam tum queque adhibendam statuit, si quis vim possidenti intulerit atque homo occisus sit: Iustinianus vero in L. 6. C. I. I. e casu illo singulari initium sumit, cui sententiam generaliorem subiungit, unde apparet, eum hoc tantum in casu singulari supplicium adhiberi voluisse, neque vero ubi quis alia quadam ratione vim commiserit.

Eodem deinde anno idem Constantinus supplicium etiam tum exerceri iussit, si quis per vim

---

1) In L. 6. C. ad legem Iuliam de vi publica et privata (IX, 12.) pro *exeri* legitur *exerceri*.

2) L. 6. C. ad legem Iuliam de vi publica et privata (IX, 12.).

alienum fundum invasisset, licet homo non interfectus esset. Rescripsit enim Basso [1]):

L. 2. *C. Theod.* ad legem Iuliam de vi (IX, 10.). Si quis per violentiam alienum fundum invaserit, capite puniatur. Et sive quis ex eius parte, qui violentiam inferre tentaverit, sive ex eius, qui iniuriam repulsaverit, fuerit occisus, eum poena astringat, qui vi deiicere possidentem voluerit.

Quam eum constitutionem Iustinianus non receperit, vel inde patet, eum generalem illam Constantini legem, „*vim inferentem supplicio esse puniendum*" non comprobasse, sed illum de eo tantum, qui ita ut homo occisus esset, vim fecisset, supplicium sumi posse, sanxisse.

Quin ipse Constantinus anno iam sequenti ea, quae atrocius antea constituerat, aliqua ex parte sustulit. Rescripsit enim eidem Basso:

L. 3. *C. Theod.* ad legem Iuliam de vi (IX, 10.). Si quis ad se fundum, vel quodcunque aliud asserit pertinere, ac restitutionem *sibi* competere possessionis putat, civiliter [2])

1) Eadem haec constitutio commemoratur in libro, qui Papiani Responsorum nomine circumfertur, tit. VIII.

2) Cf. L. 4. C. unde vi (IV, 8.). Si de possessione vi deiectus es, eum et lege Iulia vis privatae reum po-

super possidendo agat: aut impleta solennitate iuris, crimen violentiae opponat, non ignarus eam se sententiam subiturum si crimen obiectum non potuerit comprobare, quam reus debet excipere. Quod si omissa interpellatione vim possidenti intulerit, ante omnia violentiae causam examinari praecipimus et in ea requiri: *Quis ad quem venerit possidentem:* eademque protinus restituta, violentus poenae non immerito destinatus, in totius litis terminum differatur, ut agitato negotio principali, si contra eum fuerit iudicatum, in insulam deportetur, bonis omnibus abrogatis. Quodsi pro eo, quem claruerit esse violentum, sententia proferetur, omnium rerum, de quibus litigatum est, media pars penes eum resideat, cetera fisci viribus vindicentur [1]).

Hac igitur lege ut vel civiliter vel criminaliter agere liceret, statutum est: ita tamen, ut is, qui criminaliter agendum putaret, neque crimen comprobaret, eandem, quam reus crimine

---

stulare,' et ad instar interdicti unde vi convenire potes, quo reum causam omnem praestare oportet.

1) Eadem fere huius constitutionis verba referuntur in Papiani Responsorum tit. VIII, qui inscribitur „de violentiis.“

probato suscepisset, poenam sustineret. Ceterum hanc quoque constitutionem in Codicem Iustinianeum receptam invenimus: qua cum vetus illa deportationis poena restituta sit, neque recentior quaedam lex reperiatur, quae supplicium de eo, qui vim fecisset, sumi iubeat: recentiore tempore supplicium propter crimen vis admitti posse, negandum est.

Illa vero, quam modo commemoravimus, Constantini lex ad liberos tantum homines pertinuisse, eosque supplicio exemisse videtur, neque vero servos. Namque Valentinianus, Theodosius et Arcadius voluerunt, ut, qui servi proprio motu vim fecissent, capitis: qui iussu domini, in metalla damnarentur. Scripserunt enim.

> *L.* 4. *C. Theod.* ad legem Iuliam de vi (IX, 10.). Servos, qui fecisse violentiam confessionibus testium, aut propriis docebuntur, si id inscio domino commiserint, postremo supplicio deditos, luere perpetrata censemus. Quod si illi metu atque exhortatione dominorum violentiam admiserint, palam est, secundnm legem Iuliam dominum infamem pronunciatum, loci aut originis propriae dignitate non uti. Servos vero, quos furoribus talium paruisse constiterit, metallis per sententiam, dedi. Viles autem infamesque

personae, et hi, qui bis aut saepius violentiam perpetrasse convincentur, constitutionum divalium poena teneantur. Iudicem vero nosse oportet, quod gravi infamia sit notandus, si violentiae crimen apud se probatum distulerit, omiserit, vel impunitate donaverit, aut molliore, quam praestituimus, poena perculerit.

Quam quidem sententiam Iustinianus quoque comprobasse videtur, quippe qui hanc legem in Codicem recipiendam curaret.

§. 22.

Ex Constantini denique temporibus discrimen illud, quod antea ex lege Iulia inter vim publicam et privatam observatum scimus, magis magisque obsolevisse videtur. Id enim vel inde patet, quod in Codice et Theodosiano et Iustinianeo de utraque lege Iulia uno eodemque titulo agatur (idem enim iam Paulum in sententiis receptis (V. 26.) fecisse satis notum est): vel ex eo colligi potest, quod plerumque Constantinus, ceterique, qui eum exceperunt, Imperatores, generaliori *violentiae* verbo usi sint [1]). Neque vero

1) L. 6. C. ad legem Iuliam de vi publica et privata (IX, 12.) — quoniam multa facinora sub uno violentiae nomine continentur etc.

post Constantinum eiusque successores proximos de vi nova quaedam constituta sunt. Nam quae Leo Imperator anno CCCCLXVIII. de Buccellariis, Isauris armatisque servis sanxit[1]), ea cum iis, quae de hominibus armatis iam lege Iulia de vi publica vetita esse constat, arctissime cohaerent.

Haec igitur de vi sancita erant, cum Iustinianus regnum adiret. Qui cum totam civitatem legibus ordinandam curaret, omnia quae de iure civili et de iure criminali adhuc statuta erant, in unum colligi et ad certum ordinem redigi iussit. Quod cum facile fieri posset de iure civili, quippe de quo innumerabiles fere ICtorum libri exstarent conscripti, difficilius certe erat de iure criminali, cui minorem iam ab initio Romanorum ICtos operam dedisse, supra iam exposui. Tribonianus igitur cum sociis, quibus id negotium datum esse scimus, historicam iuris criminalis explicandi methodum sequutus, sedulo collegit ea, quae de vi publica et privata *in vetere* iure criminali constituta erant: etiamsi iam Constantini Magni temporibus tale discrimen fere obsoleverit. Sic fieri non potuit, quin fines vis publicae et privatae nonnunquam non satis integri

1) L. 10. C. ad legem Iuliam de vi publica et privata (IX, 12.).

gri servarentur, praesertim cum eo, quod una ceterae quoque leges Iuliae colligerentur, appareret, ea crimina, de quibus antea ex legibus Iuliis de vi publica et privata agi soleret, iam etiam ex legibus maiestatis, aliisve legibus diiudicari posse. Nihilominus tamen vetus illud vis publicae ac privatae discrimen integrum servari, Iustiniano placuit: id, quod videre licet ex eius Institutionibus [1]); eamque ob causam quae de vi publica et privata sancita adhuc exstarent, duobus titulis separatis in Digestorum libros recepit.

§. 23.

Secundum ea vero, quae in Iustiniani libris de vi publica et privata reperiantur, inter utramque ita fere distinguendum videtur.

I. Vim publicam commisisse is putandus est:

1) Qui vel contra homines vel contra res armis usus sit, quibus securitas publica turbetur atque evertatur.

2) Qui in incendio aliisve eiusmodi calamitatibus rapinandi causa turbam seditionemque moverit.

1) §. 8. I. de publicis iudiciis (IV, 18.).

3) Qui iudicem aliumve magistratum, quominus officia sua obeat, impedierit.

4) Qui vi, ut sibi aliquid praestetur, effecerit: v. c. qui nova vectigalia exercuerit, vel vi sibi aliquem obligaverit.

5) Qui contra ius publicum violenter quid fecisse deprehensus sit: v. c. qui legatos violaverit, sepulcra et exequias disturbaverit, vel provocandi facultate aliquem privaverit.

II. Vis privatae reus habendus est:

1) Qui violentiam erga liberos homines adhibuerit, sed eam sine armis: v. c. qui creditor sine iudicis auctoritate res debitoris occupaverit.

2) Qui violenter alienam possessionem temerare ausus sit.

3) Qui improbam cum aliis inierit societatem, qua aliorum lites sollicitentur.

Supplicium, quod Constantinus de eo, qui *vim fecisset*, sumendum sanxerat, Iustinianum non recepisse (praeterquam si vel servus vis commissae reus, vel homo occisus esset) supra iam commemoravi: id, quod vel inde patet, quod etiam in Institutionibus vis publicae reum, deportari: vis privatae reo, tertiam partem bo-

norum eripiendam eique infamiam irrogandam, iusserit.

§. 24.

Haec sunt, quae ordine historico de Romanorum praeceptis circa crimen vis publicae et vis privatae conscribenda apud me constitui. Utrum ea vero, quam in hac commentatione sequutus sum, ius criminalis Romanorum explicandi methodus commoda existimari possit, viri docti, penes quos iustum ea de re est arbitrium, iudicent.

HALAE, TYPIS ORPHANOTROPHEI.